Dies ſecundus Maij, vigilia Inuentionis ſanctæ Crucis, dictus iam fuerat nobis, quo in iudicio adeſſe coram Caim Acchàm, Turcarum Præſide, deberemus, mortis in nos ſententiam audituri. Omnes, hoc nuncio, indicibili animi lætitia prægeſtiuimus; tempus iam aduenisſe arbitrati, quo ſanctæ noſtræ Miſſionis primitias Deo libaturi eſſemus. Igitur ſummo mane Miſſæ Sacrificio de more peracto, atque ſanctæ orationis, & contemplationis dulcedine eo die vberiùs ſolito recreati, celebratis etiam cum iubilo hora debita primis Veſperis ſacroſanctæ Crucis, acceſſimus ad Tribunal, adeò in ſpe læti, quòd illam ſalutiferæ Crucis ſolennitatem haud diſpari ratione eſſemus Domino noſtro IESV Chriſto conſecraturi; vt vix contineri præ gaudio intra nos ipſos potuiſſemus. Attamen (ſic Deo, aut pro noſtra virium infirmitate, aut pro ſua maiori gloria, diſponente) contra quàm pro certo ſperabamus, & mirabili ſanè modo, res exitum habuit. Etenim idem Præſes, è furibundo, iraque pleno Iudice, qualem peſſima de nobis opinio priùs fecerat, viſis duntaxat nobis, admodùm benignus, atque ad humanitatem propenſus apparēs, *nequeunt*, dixit, *tam venerandi horum Virorum aſpectus, verſipellis ſpeculatorum animi eſſe notæ*. Quamobrem pro eo quòd patibulo nos ſuſpenderet; vti anteà & ſibi in animum induxerat, & lata quoque ſententiâ promulgarat; libertate do- 28 natos paucis, ac mitiſſimis verbis à ſe dimiſit, cum ea tamen præceptione, vt eàdem, qua veneramus, naui eò regreſſuri eſſemus, vndè fueramus digreſſi.] Hæc ad ſuum Præpoſitum Generalem D. Petrus Auitabolis, D. Iacobus de Stephano, & D. Ioannes Philomìa: quæ poſteà, ita prorſus, vti ſuprà narrantur, accidiſſe, à catholicis quoque Viris Conſtantinopolitanis ego-ipſe accepi.

Eam igitur ob cauſam præfati Sacerdotes, pedem retrorſum non leui cordis ſui mærore referentes, Conſtantinopoli Siciliam coguntur repetere. verùm reflexo itinere, haudquaquam inflectunt animi magnitudinem, nec ab incœpto deſiſtunt: ſed maiori firmati conſtantia, ſua in vno Deo ponentes præſidia, vt ad Iberos ſe conferrent incolumes, aliud pertentant iter, vniuerſamque ſtrenuè circumeunt & Syriam, & Perſidem, & Armeniā. Cardelium denique, & Cachètum, primò ſibi obuias Iberiæ Prouincias, vbi Theimuraz Rex dominabatur, poſt innumeras difficultates, proſperè ſub diuinis ingrediuntur 29 auſpicijs. Adeunt illicò Regem, cui poſt debita obſequiolæ ſalutationis officia, & litteras offerunt Pontificias. 30

Profectò exprimere ſatis non poſſem, quibus ille gratulationis, & beneuolentiæ ſignis eos exceperit, & amplexatus fuerit. liberalis pro loci tenuitate multis eos donauit munuſculis; Eccleſiam Goride, prima-

ria Cardelij Ciuitate, iam erectam, vltro largitus est; situm quoque domus ædificandæ prope Ecclesiam assignauit. Quibus denique feliciter gestis, ac non multo dilapso tempore, Pater Auitabolis, tum vt suorum Collegarum numerum adaugeret, tum vt acceptum ab eodem Theimuraz Rege legationis responsum ad Summum Pontificem Vrbanum perferret, relictis ibi socijs, reuertitur Romam; atque hanc ipsi sanctissimo Patri relationem de statu Iberorum, vnà cum subsequente eiusdem Regis ad illum epistola, exhibet:

Beatissimo Patri

VRBANO VIII. PONT. MAX.

Post humillima pedum oscula,

Hæc de Statu Christianitatis in Iberia, Prouincia Regis Theimuraz, refert D. Petrus Auitabolis Cler. Reg. illi Missioni à Sac. Cong. de Prop. Fide præfectus:

Beatissime Pater.

B Iennium ferè Goride commoratus apud Iberos, iam ad pedes Sanctitatis vestræ prouoluor, litteras Theimuraz Principis Iberiæ traditurus, testes sui erga Sanctitatem vestram, pro paterno in eum amore, deuinctissimi animi. Vt ego illas ferrem, Principis vota fuerunt, arbitrati decentiùs fore, me litterarum Sanctitatis vestræ ad 31 ipsum olim latorem, esse nunc & suarum: cui non obsecundari, nefas iudicaui, hoc potissimùm tempore, quando in eius animũ concilian-dũ, & erga Sedem Apostolicam flectendum, quantiquanti sumus, incumbimus. Et sanè, vt reor, profundiore etiam Dei consilio id decretum fuit; vt ipsemet, huic Missioni præfectus, tametsi indignissimus, possem & effundere cor meum ante pedes Sanctitatis vestræ; & ouium, tibi Patri vigilantissimo concreditarum, laniatus immanes enarrare; & tenebras, inter quas 32 Gens illa cæcutiens aberrat, edicere; & comploratum catholicæ fidei casum, quo maiore valeam animi cruciatu referre; haud dubius, à mei voce, non clamantis, sed gementis, commouenda superliminaria cardinum Apostolicæ Cathedræ; & commotis visceribus super contritione filiæ populi tui opportunè prouidendum; quò & lupi arceri, & tenebræ dispelli, & deiecta erigi queant. Itaque non dedignetur Sanctitas vestra aurem mihi præbere.

Errores Georgianorum circa fidei Articulos, Sacramenta, Præcepta, & bonos mores.

33

1 NEgant, Spiritum sanctũ à Filio procedere.

2 Purgatorium esse quidem asseuerant, non tamen per ignem; sed tantùm animas cruciari in loco quodam obscuro, & mœstitudinis.

3 Negant Iudicium particulare animarum Christianorum, siue iustorum, siue iniustorum. Vndè decedente aliquo, dicunt, per manus Angeli sui custodis deferri illius animam ante Christum; & si quidem iustus omnino fuerit, mitti in locum quendam lætitiæ, vbi viridaria, & pulchra sunt palatia; si impius, in locum tetrum, & obscurum demitti; si verò in pœnitentia ex hac vita decedat, per aliquod tempus mitti ad locum illum horroris, & postmodùm ad lætitiæ locum transmitti: quibus in locis eorum animas, dicunt, vsque in diem Iudicij detineri, sistendas tunc post Resurrectionem ante Iudicem, æternæ beatitudinis, aut damnationis sententias accepturas. 34 35

4 Visionem Dei ante corporum resurrectionem animabus non concedunt; vt ex præcedenti patet errore.

5 Infideles tantùm in particulari Iudicio, asserunt, iudicari, quando moriuntur; & nequaquàm iudicandos in generali; pro quo adducunt illud Ioan. 3. *Qui non credit, iam iudicatus est.*

6 Inferorum pœnas non faciunt æternas; nam si Christianus decedat in peccato mortali, & sine pœnitentia; si pro eo oretur, poterit, inquiunt, à pœna liberari ante vniuersale Iudicium: vnde contemptus pœnitentiæ oritur, & cæterorum operum bonorum. 36

7 Fidei Confessionem, quæ ore fit ad salutem, adhuc in re grauissima, negant, esse necessariam, vrgente graui metu.

8 Festos dies licet multos agnoscant; ab opere tamen seruili in illis non feriantur, etiam si Natiuitatis Domini dies sit.

9 Baptismi Sacramentum hoc modo conferunt: Primùm Sacerdos multas super Infantem baptizandum legit preces; quas inter & formulam verborum Baptismo necessariam, perinde ac si vna esset ex dictis precibus, Græco ritu prolatam, & tunc sine Infantis ablutione, legendo percurrit. Tum, expleta lectione, exuitur vestibus Infans; qui tandem, tempore notabili à formæ prolatione excurso, non quidem ab ipso Sacerdote, sed à Susceptore sine alia prolatione formæ totus diligenter abluitur.

10 De Baptismi Sacramento recipiendo non sunt valdè soliciti; ignorant enim illud esse ianuam aliorum Sacramentorum. Paucis ante nostrum aduentum diebus accidit, Episcopum quendam ex primoribus compertum fuisse nequaquam baptizatum: cui cum Baptisma contulissent, Ordines tamen minimè reiteratò contulerunt.

11 Rebaptizant reconciliatos fidei Christianæ ab errore apostasiæ.

12 Existimant, Baptismi Ministrum esse solum Sacerdotem, etiam in articulo mortis: vndè imminente periculo obitus Infantis, si absit Sacerdos, nemo illum baptizat: in quo casu, dicũt multi, sufficere saluti Infantis Baptismũ matri suæ collatũ.

13 Pueris, dum baptizantur, conferunt Confirmationis, & Eucharistiæ Sacramentum.

14 Peccata primùm confitentur, cum vxores sunt ducturi; & tunc Confessionis integritatem paruiducunt: nam exacto lubrico adolescentiæ statu, quatuor se verbis expediunt. Iterum confitentur extremo vitæ tempore, eodem etiam verborum compendio.

15 Si Sacerdos in carnis peccatũ vel secretissimè labatur, Confessarius in sacramentali Confessione priuat eum facultate celebrandi: ex quo pessima inoleuit consuetudo; 38 vt Sacerdos, in eiusmodi peccatum lapsus, minimè illud confiteatur, eoque maculatus non cessat vsque ad mortem celebrare.

16 Pueris morientibus Eucharistiam præbent; asserentes, Christi esse præceptum, dicentis Ioan. 6. *Qui non manducat meam carnem, non habet vitam æternam.* Adulti verò rarissimè in vita eandem Eucharistiam recipiunt, & multi ob incuriam ne in morte quidem.

17 Ecclesiastici omnes, immò & Sacerdotes, & Episcopi, ad bellum ire coguntur à Principe; ijdemque, ab inimicorum cæde reuertentes, 39 Missam celebrant sine vlla dispensatione ab irregularitate.

18 Sentiunt, vno die vnicam tantùm Missam in vno altari, vel in vna Ecclesia posse celebrari. Nec Episcopi, nec Sacerdotes omnibus diebus festiuis celebrant; neque alterius celebrationi interfunt: vndè 37 sæpissimè ijs diebus populus totus sacrificio Missæ priuatur.

19 In Missæ celebratione sordidissimis vasis, & vestibus vtuntur; conficrantque in calice ligneo. Itẽ cum Eucharistiam ad infirmos deferunt, maxima id faciunt irreuerentia, sine comitatu, & luminibus. Cum Missa celebratur, seculares, & præcipuè mulieres, extra fores Ecclesiæ manent, risui vacantes, & vaniloquio: nec aliter se habent, Ecclesiam ingressi, vbi assistunt immodestissimè.

20 Aliquibus diebus festiuis multi Sacerdotes, Missæ sacrificio adstantes, communicant; sed Eucharistiam ab Episcopo celebrante recipiunt in proprijs manibus, quam ipsimet proprio apponunt ori.

21 Ecclesiastici circa diuini officij recitationem in eo sunt errore, vt non omnes illud recitent; sed vnus tantùm, vel duo, alijs multis audientibus; & qui recitat, vt plurimùm non est Sacerdos: quin etiam adstantes, ad ea, quæ dicuntur, minimè attendunt, sed alijs vacant negocijs.

22 Omnes, quamuis adultæ sint ætatis, maxima rudimentorum fidei tenentur ignoratione; quamobrem nec Orationem Dominicam, nec Salutationem Angelicam, fidei Symbolum, præcepta Dei, & Ecclesiæ, peccata vitanda, & quæ ad salutem sunt necessaria, sciunt. Parentes enim in educandis religiosè filijs nullam prorsus curam ponunt.

23 Si de vxore liberos non recipiant, de Sacerdotum licentia dant illi libellum repudij, atque aliam ducunt. Idem similiter faciunt, si rixosa sit, aut in adulterio eam deprehenderint.

24 Dum quis in agonia mortis positus est, ita vt de illius salute desperetur; accelerant eius mortem; primò in tali situ corpus illius collocando, vnde citiùs moriatur; secundò, vicina magis morte, os eius, oculosque simul claudendo, ne valeat respirare: quippe malum esse, dicunt, moribundum diutiùs animam agendo cruciari: id munus à Sacerdotibus vt plurimùm exercetur.

25 Ieiunantes vnica comestione minimè sunt contenti; sed vel pluries comedunt; vel, si vna solùm vice, tota die vsque ad vesperam comessantur.

26 Vinum ita immoderatè bibũt vt omnes temperantiæ terminos longissimè prætergrediantur, præcipuè diebus festiuis, in quibus magno afficiuntur pudore, si non turpissimè inebrientur. Hinc singulæ ipsorum actiones omni prorsus ordine debito destitutæ sunt, & ex quotidiana inebriatione quasi semper vsu rationis carent. Bibentes eo affectu Deum inuocant, talesque gestus corporis agunt, vt quædam adorationis species vino ab illis adhiberi videatur.

27 Augurijs, & superstitionibus perditissimè dediti sunt. Carnem manducantes, ossa respiciunt, ex quorum inspectu propriam felicitatem, aut infelicitatem augurantur. Animalium voces curiosissimè obseruant. Somnijs maximam adhibent fidem. Super mortuos abominabili luctu lugent. Nocte, quæ Resurrectionis diem antecedit, manducant in Ecclesia, sed solæ mulieres.

28 Nullum apud eos veritatis vestigium inuenitur; quin & iuramentis horribilibus mendacia ipsa confirmant, etiamsi euidentissimè de illa falsitate se sciant posse conuinci; *nec, si conuicti fuerint, pudore* vllo afficiuntur: quare si vel Nobilissimus audiet, mentiris; haud illud sibi ascribit iniuriam; sicut neque si dictum sibi fuerit, esse stultum, aut huiusmodi alia contumelia.

29 Latrocinij crimine omnes impensè tenentur; à quo absoluuntur à Confessario sine proposito restitutionis faciendæ.

30 Miracula remansisse apud nos, negant; & si quæ à nobis illis referuntur, siue antiqua, siue recentiora, siue per defunctos patrata, siue per viuos; mentiri nos dicunt: cuius perfidiæ ratio ea est, quòd apud ipsos iam cessarunt. Vt autem coniectare possumus, hæc cessatio ibi contigit tempore Concilij Florentini; quando fœdus vnionis, in eodem initum Concilio inter Occidentalem, & Orientalem Ecclesiam, à Græcis, quibus Ecclesia subditur Iberorum, violatum fuit. nam cum in eorum Ecclesia Patriarchali asseruaretur vnica spina coronæ Sal-

uatoris in quadam ſubterranea feneſtella, vnde olim liquor ad languorum ſanitatem iugiter emanabat: petentibus nobis, quot anni effluxiſſent, ex quo liquor ille ſalutaris emanare ceſſauerat; reſpondit Patriarcha: *anni circiter ducenti*. Vnde liquet, ex quo diximus tempore, Dei beneficium à Schiſmaticis ablatum.

31 De Pontificis authoritate ſentiunt, illum in iure duntaxat poſitiuo diſpenſare poſſe; ſed in re leui, ſecus verò in graui.

32 Quæcunque nos Catholici facimus præter eorum conſuetudinẽ, ſiue in ieiuniorum obſeruatione, ſiue in feſtorum celebratione, ſiue in modo orandi; aſſerunt eſſe errores. Hæreticorum tamen nomen adhuc nobis non appoſuerunt.

33 Cum tam peruersè à vera fide aberrauerint; ſuperbè tamen ſentiunt de ſeipſis; ita vt in omnium ore iſta paſſim verba reperiantur: Si Chriſtiana fides in toto Orbe periret; apud nos vera Chriſtianitas, pura, & intacta denuò inueniretur.

De Statu politico Georgianorum.

1 IN regimine politico Iberiæ, Principes Eccleſiaſticam libertatem nihili faciunt. Sacerdotibus enim, veluti mancipijs, ad placita ſua vtuntur. Epiſcopos paruipendunt, huc illucque eos ſecum pertrahentes; & ſi quid erroris commiſerint, ipſi ineos animaduertunt; nec ſupremo Iberiæ Patriarchæ, qui Catholicus nuncupatur, obediunt, aut eius mandata exequũtur: quare primum locum in ſpiritualibus non Patriarcha quidem, ſed Princeps obtinet. Et quod Princeps de omnibus Epiſcopis, & Sacerdotibus facit, hoc ipſum & Nobiliores alij in ſua quiſque ditione de ijſdem faciunt. 43

2 In electione ſupremi Patriarchæ Princeps cum omnibus Epiſcopis ſuffragium habet, ad cuius nutum cuncti reſpiciunt.

3 In iudicando, & puniendo, tyrannico iure vtuntur. Iudices apud eos nulli ſunt, qui cauſas cognoſcant, & examinent: teſtes non recipiuntur: legum decreta non habent. Quod Princeps iubet in tota Prouincia, aut Dominus quiſque in ſua ditione, illud exequendum, ſiue iuſtum, ſiue iniuſtum; ſtatque pro ratione voluntas. 44

4 Subditos tam graui iugo ſeruitutis premunt, vt non ſolùm eorum bonis, puta gregibus, armentis, domibus, &c. nulla eis ſoluta mercede, ad beneplacitum ſuum vtantur; ſed etiam perſonis, eas ſibi ad inuicem vendendo, & (quod deteſtabilius eſt, & nunquam ſatis deploratum) ipſis etiam Infidelibus. Quod Princeps in ſua, idem alij Nobiliores in eorum ditionibus perpetrant. 45

5 Potentiores quàcunque iter faciunt, cogunt Oppidanos ad alimenta ſibi, & equis miniſtranda abſque vlla mercede.

6 Licitum eſt cuique de hoſte

vindictam ſumere: vndè fit, vt ſemper à fortiore, & validiore ſtet victoria. Si læſus apud Principem pro illata iniuria non inſiſtat, Princeps neque ex officio in reum inquirit. Porrò vindicta ſic ſumitur; vt, ſi læſus inimici Perſonam offendere nequeat, bona illius aggrediatur: hinc vaſtantur prædia; præciduntur arbores, maximè vites; incenduntur domus; ac paſſim interfecti boues, atque ſues inimici, in publicis epulis amicis, & conſanguineis apponuntur.

7 Eò ignorantiæ deuenerunt, vt nulla ſit apud eos ſcientiæ addiſcendæ, docendæue forma, aut modus, ne apud ipſos quidem Epiſcopos. Liberalium quoque artium ſeculares penitus ignari ſunt: ſeruilium verò vix pauca veſtigia ſeruant.

8 Quod ſpectat ad mutua fœdera, omnes Georgiani Principes inter ſe nec amicitiæ fœdere coniuncti, nec inimicitiæ odio diſiuncti ſunt. Si quis eorum bello vrgente prematur, profectò ab alijs fruſtrà ſubſidium expectare poteſt. Rex noſter Theimuraz cum Turcis inimicitias gerit; cum Perſis verò non ſponte, ſed coactus, & in metu poſitus, pacem iniit. Sed & Perſarum Rex per ſuos modò legatos filiam eiusdem Theimuraz ſibi in vxorem ſponderi petijt.

Hæc ſunt, Beatiſſime Pater, zizania, quæ in medio tritici puræ fidei Georgianorum, ſub ſancto Silueſtro Papa ſeminati, inimicus homo, Diabolus, ſuperſeminauit: qui

46 vtinam poſteà abijſſet; eſſet enim damnum non adeò irreparabile: attamen perſtat adhuc per ſatellites ſuos, Caloceros nempe illos, à Pſeudopatriarcha Conſtantinopolitano illuc miſſos, & poſt aduentum noſtrum conduplicatos; qui nomen catholicæ fidei Romanæ auerſati, gignunt, nutriunt, fouent illius odium in ſingulorum pectoribus; mendacia pro ſua malitia fabricantes falſiſſima, & blaſphemias in hanc ſanctam Sedem palàm, & vbique ore fœdiſſimo non ceſſantes effutire. Reſpice, Beatiſſime Pater, de hac Sede Sanctitatis tuæ, & co-
47 gita de nobis: impertita nobis benedictione tua, illumina vultum tuum ſuper nos, & Commilitones adiunge, per quos, adiutore Chriſto, effrons inimicorum audacia reprimatur; ablatoque opprobrio ex Iſrael, victricis catholicæ fidei iugo colla ſubdantur eorum, qui Chriſti ſanguine ſunt redempti. Multam enim, ac maximam nobis indidere ſpiritualium frugum ſpem, non pauca bonæ indolis, quam in Rege animaduertimus, indicia, bonaque, ac pia eius Populi ad rectam fidem percipiendam inclinatio; prout latè expoſitum eſt in ſupplici libello, ſa-
48 cræ Congregationi de Propag. Fide porrecto. Sic rogo ad pedes Sanctitatis veſtræ humillimè proſtratus, hac die 27. Martij, anno à Chriſti Natiuitate 1631. Ego D. Petrus Auitabolis Clericus Regularis.

Domino Nostro

VRBANO VIII. PONT. MAX.

Theimuraz Kan, Rex Iberorũ.

Extãt hæc & subsequentes epistolæ in Tabulario Sacræ Cõgreg. de Prop. Fid.

EXcelsis Sãctitatis vestræ bene dictionibus, ac precibus, &c. Accepimus ad Nos huc perlatas Beatitudinis vestræ litteras à RR. PP. D. Petro, & D. Iacobo, Clericis Regularibus; qui tandem ad præscriptum suæ viæ terminum tunc temporis aduenerunt, quo sanè opportuniùs eos præstolari minimè poteramus. Hos igitur Patres, quorum aduentu plurimum duximus gratiæ, ac fauoris Nobis exhibitum, de pari referenda gratia cogitantes, in osculo sanctæ charitatis excepimus, & super caput nostrum exaltauimus: nullum enim officij genus, aut studij prætermisimus, quod ad ipsorum vtilitatem spectaret: optimum eis locum assignauimus, & Ecclesiam; vbi commodè habitantes, possint diu, noctuque orationibus in atrio, ac ostio Templi Dei vacare: omnibus quoque subditis nostris, illud Nos maximè velle, patefecimus; dictos Patres ita in Dei seruitiũ iuxta sacros Religionis suæ ritus, & consuetudines constanter, ac tutò incumbere; vt nemo prorsus audeat molestiam eis vllam, aut damnum afferre: immò quò Deum pro Nobis precari commodiùs valeant, vniuersos eis inseruire, obsequi, atque fauorabiles esse, mandauimus. Ad ea verò, quæ Nobis 49 Sanctitas vestra, Pater noster Beatiss. simus, scripto injunxit, vt nimirùm vnà cum populis nostris eorundem Patrum verba pronis exciperemus auribus, ac fortes, immobilesque in Christiana fide, & via Domini recta consisteremus: maximas quidem Omnipotenti Deo Nos gratias iugiter persoluere, respondemus, quòd veræ fidei, Christianæque Religionis ardor, & studium, ex prisco illo Constantini Magni Imperatoris æuo ad hæc vsque tempora, adeò tenaciter insint in animis nostris, vt diuino beneficio ipsis quoque penitùs impressa præcordijs videantur. 50 Licet enim verum sit, Regnum hoc nostrum, donec in tyrannica Persarum manu fuit ab anno Salutis 1614. vsque ad mox præteritum 1628. omnino vastatum, atque ad vltimam propè pernicicm fuisse perductum: attamen in confessione fidei Christianæ non stabile modò perstitit semper, & inconcussum; verùm & pro nostra virili parte solicito etiã excubauimus animo, ne vel hæresis quidem vlla in ipsum potuisset obrepere: sed & spe maxima nitimur, fore vt ope diuina ad nouissimum 51 vsque diem Iudicij in eadem vera fide integrum pariter perseueret, & incorruptum; maximè verò, cum iam in præsentia, Dei gratia, & Sanctitatis vestræ, Patris nostri beatissimi, precibus, pacifico eius perfruamur possessu. Hanc planè vnam ob causam, zelum, inquam, & amorem Christianitatis, nostra olim Genitrix ad Regiam Persarum Aulam

properarat, ſtudio impetrandi, vt quiſquis è gente noſtra Ibera ſub 52
Perſarum ditione à Chriſtiana Fide deſciuiſſet; impunè poſſet, ac tutò ad propriam Patriam, & priſtinam religionem reuerti. verùm enimuerò è contrario factum eſt: quandoquidem impius ille Rex, cum nequiuiſſet eius conſtantiam à caſtitate, & Chriſti fide tuenda abducere; primùm in carcerem eam trudi, iuſſit; mox tum ille, tum eius perfida gens, aduerſus eam, & Nos obſtinato animo duriores, crudelioreſque præ ſe ferentes; diriſſimis 53
eam tormentis, quoad moreretur, excruciarunt. Et iam annus recurrit, ex quo reliquiæ corporis eius à Reu. Patre Ambroſio Ordinis S. Auguſtini huc ad nos delatæ fuerunt ab Vrbe Spahàn. pro quo beneficio eundem Patrem remunerauimus & rure, vndè victitare poſſit; & loco ad Eccleſiam ſibi conſtruendam opportuno; vbi, ceu in veſtibulo Aulæ cæleſtis, aſſiduè preces fundat pro Nobis. Cæterùm quod ad præſentis ſtatus noſtri rem attinet: 54
miſeranda huius Regionis vaſtatio, ædificiorumque cum ligneorum, tum lapideorum ruinæ, iam oculis eorundem Patrum Clericorum Regularium expoſitæ ſunt; qui de omnibus veſtram certiorem facient Sanctitatem. Porrò autem lacrymabilis ſuper omnia Eccleſiarum populatio fuit; quæ non ſolùm argenteis, & pretioſioribus vaſis, omnique prorſus ſupellectili; ſed ipſis adhuc ſacris Iconibus expoliatæ fuerunt. quocirca enixè veſtram rogamus Beatitudinem, vt prædictos Patres ſaltem de rebus, miniſterio Eccleſiæ ſuæ neceſſarijs, iubeat prouideri; vt ad finem optatæ vnionis, & charitatis aſſequendum, facilior eis aperiatur via. Demum, ſi quæ alia veſtræ Sanctitati præſtare officia in hac poterimus regione; Nobis, illa citò pro viribus, vti veſtra in Nos beneficia poſtulant, exequenda curaturis, imperare non dedignetur. Datum in Iberia, die 5. Ianuarij, 1629.]

Hanc igitur Iberi Regis epiſtolam, atque alteram Zachariæ Iberorum Patriarchæ eiuſdem tenoris, cum ſupraſcripta relatione de ſtatu illius Prouinciæ, offerens Pater Auitabolis Vrbano Summo Pontifici; illud obtinuit, vt Iberiaca Miſſio ſex alijs tunc Sacerdotibus augeretur: quibus & ſolertiſſimus Paſtor, ne, quod poſſet Iberorum prodeſſe ſaluti, officium vllum omitteretur, duas alias dedit ad eundem Regem, & ad Patriarcham beneuolentiæ conciliatrices epiſtolas. eæ autem ſunt huiuſmodi.

Theimuraz, Iberiæ Regi, Vrbanus Papa VIII.

Loc. cit.

ILluſtris, ac Potentiſſime Rex, ſalutem, & lumen diuinæ gratiæ. Nauigat mediterraneos fluctus, perambulat varias Europæ Prouincias fama, nuncia meritorum; quæ cum in Aſiatica Iberia fuerit illuſtrium victoriarum ſpectatrix, Romani Pontificis curas laudibus Iberi Re-

gis consolatur. Planè videtur Maiestas tua nouum principatum circumuallare propugnaculis Cæli, & munire legionibus Angelorum; dum in istis Regionibus excubare gaudet Sacerdotes, è Vaticano Tabernaculo prodeuntes. Religio enim, quam ipsi docent, tutela Regum est, & salus Populorum. ea si in tuis Prouincijs omnino dominabitur, videbis istic exarmari furorem, seditiones meditantem; & conquiescere pacem, de vitijs triumphaturam. Tam salutaria consilia deferri ad Maiestatem tuam è thesauris Regni cælestis, nuper declarauit 56 dilectus filius, Teatinus Sacerdos, Petrus Auitabolis, qui tuas litteras reddidit. Benedicat sceptris principatus tui, & adstet gladijs regalium legionum dextera Omnipotentis, quæ fecit virtutem cum Magno illo Constantino, quem suæ religionis autorem agnoscit Iberia. Is enim dum Sacerdotes coluit, profligauit hostes; & verum victoriæ omen, contueri potuit in nubibus Cæli coruscantem Crucem, quam in Romani Pontificis diademate Ecclesia veneratur. Quando illa dies affulserit, dies salutis, & lætitiæ; qua Maiestatem tuam, Constantini imitatione eruditam, complecti poterimus accedentem per Regios Legatos ad pedes Apostolicos, Regum oscula nobiles, & ambulantes in semita diuinæ legis? Quando te potentissimi Christianæ Reipublicæ Reges fratrem in Ecclesia poterunt appellare? Profliga tandem omnia impedimenta. post quæsitum victricibus armis in Iberia Regnum, fiat Theatrum religionis tuæ Vaticanum Sanctuarium; vbi inter Romæ plausus audiatur exoptata legatio, persoluens piæ obedientiæ tributum Beato Petro, perducenti Reges ad triumphale imperium beatitudinis sempiternæ. Speramus, fore, vt Pontificia vota optatos ad exitus perducat Ommipotens; cui accuratissimis orationibus te, ac Regnum tuum semper commendamus. Interea istùc redire volumus eundem Sacerdotem Petrum Auitabolem; cui Euangelicæ charitatis zelus, & patrocinij tui spes, incommoda videri non patitur itinera, tot naturæ, atque iniquitatis periculis obsessa. &c. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 21. Iunij, 1631. anno Pontificatus nostri octauo.

Zachariæ, totius Iberiæ Metropolitæ, Vrbanus PP. VIII.

VEnerabilis Frater, salutem, &c. 57
Exoriatur Christus, Sol iustitiæ, in cordibus istorum populorum. Consolamini Concilia iustorum: en apparent flores diuinæ gratiæ in Asiatica Iberia. speramus, fore vt istic quam primùm maturescant fructus suaues gutturi nostro; atque adeò digni, qui conuiuijs Angelorum inferantur. Audiuimus, ex remotis istis Prouincijs redeuntem, dilectum filium, Theatinum Sacerdotem, Petrum Auitabolem; nec sine eximio Apostolicæ charitatis gaudio

dio audiuimus. teſtatus enim eſt luculentiſſimè, quibus beneficijs per 58
manus Regis, & Metropolitæ declaretur iſtic miſericordia Omnipotentis Sacerdotibus Romanæ Eccleſiæ, ad vos proficiſcentibus. Deum, qui diſperſiones Iſraëlis congregat, oramus; vt tandem perficiens, quod operari cœpit in vobis, Principes, ac populos Iberiæ deducere velit ad hunc montem ſanctum Vaticani; eum enim elegit Dominus habitationem ſibi; vt in hoc Sanctuario religionis pateſaciant Pontificiæ claues 59
fores Regni cæleſtis nationibus credentibus. Intereà dum tantum ex iſto Regno ſolatium Roma, nationum parens, expectat; perfruitur fama nominis tui plauſu Italiæ. Porrò autem Senatus Apoſtolicus, coronatus purpura Regum, & ex vniuerſis Catholicæ Eccleſiæ Regnis ſelectus, gauiſus eſt non mediocriter; vbi accepit, patefactum eſſe in Iberia templum, curante Authoritate tua, Sacerdotibus noſtris. Ibi certè non modò commorabuntur virtutes, è Cælo petitæ, & ſaluti Terrarum ſeruientes; 60
ſed etiam excubabit oratio, Regnorum cuſtos, quæ legiones Angelorum deuocare ſtudebit ex arcibus æternitatis: vt eodem tempore, ac duplici victoria de vitijs triumphetis, & hoſtibus. Volumus, eundem Petrum ad vos redire teſtem Pontificiæ ſolicitudinis, & beneuolentiæ. dignus planè eſt, quem omni officiorum genere colat natio Ibera; cuius ſaluti vt ſeruiat, Patriam, ac Propinquos obliuiſcitur. ex eo cognoſces, cur optatos pictores, & medicos, tam periculoſi itineris comites ſecum non deducat. Ei autem non modò fidem haberi; ſed etiam omnem, qua polles, opem cupimus adiungi. &c. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 21. Iunij, 1631. anno Pontificatus noſtri octauo.]

HAs ſecum deferens Pater Auitabolis commendatitias literas; nouumque, ad ſuæ miſſionis aciem roborandam, acerrimorum Commilitonum ſubſidium; iterùm ſe tranſtulit in Georgianas Prouincias. Vbi poſtquàm incredibili animi fortitudine ad barbaras illas gentes aditum ſibi, ſuiſque ſodalibus patefecit; & noſtratium Reſidentias nonnullas, alijs paſſim ſuperuenientibus ſocijs, in Iberia fundauit, & Colchide; miſſus denuò fuit ab eodem Vrbano ductor aliorum collegarũ ad Euangelium Golcundenſibus Idololatris annunciandum in Indijs Orientalibus; cui deinde alij plures ſuæ Congregationis Operarij, ex Italia iterùm ſubmiſſi, adiuncti ſunt: ibique iam ſexagenarius animarum illarum ſaluti vnà cum illis iugiter adlaborat felici, copioſoque prouentu. Huius viri laudem, minimè opus eſt, hìc celebrandam ſuſcipere; dum eius præclara indoles tam feruenti animarum zelo excitata iamdiù fuit ad perpetuas, ob fidem Catholicam diſſeminandam, peragrationes; vt proindè omnium, maximè Orientalium ore, ſummo gradu celebratiſſima ſit.

Plurima verò eius, ac primorum ſociorum meſſis, apud eaſdem Indias tum in Golcundæ, tum in Goæ Regno collecta (vt de hac nonnihil etiam præloquamur) grauiſſimis multorum virorum, & Antiſtitum teſtimonijs conſtat. quippè, cum ex eodem Goæ Regno, Ditione Luſitanorum, omnes fuiſſent Itali ablegati; vt nihilominùs Clerici Regulares, orti licet ex Italia, ſuæ ibidem Religionis fundamenta iacere poſſent, (vti ſub diuinis poſteà auſpicijs impetrarunt) quos tunc primò habuerunt illic progreſſus, planè admirabiles, publicis, & authenticis literis prodidere Illuſtriſſ. Dominus Alphonſus Mendes, Aethiopiæ Patriarcha; Illuſtriſſ. Dominus Fr. Franciſcus de Martyribus, Goæ Archiepiſcopus, ac Indiarum Orientalium Primas; Reuerendiſſimus Dominus Dominicus Rebellus, Inquiſitor; omnes Curiones Parochiarum Vrbis Goæ; alijque perplures; quorum ſatis ſit nunc, ne multùm à propoſito diuertamus, tres tantummodò ad illos innuendos teſtationes * proferre: primam facit Illuſtriſſimus Dominus Franciſcus Antonius Fraſcellius, Myrenſis Archiepiſcopus; ſecundam Superiores earum, quæ in Vrbe Goa nunc extant, Religionum; tertiam Vicarij Goæ, aliarumque, illi magis adiacentium, Inſularum. Et prima quidem eo ipſo, quo exarata fuit, idiomate; poſteriores verò, in Latinum è Luſitano ad verbum conuerſæ, adducentur.

* Aſſeruãtur apud Clericos Regulares. earum autem exemplar in Tabul. Sac. Cõg. de Prop. Fide.

61 *Teſtificatio Myrenſis Archiepiſcopi.*

FRater Franciſcus Antonius de Sancto Felice, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Archiepiſcopus Myrenſis; & Adminiſtrator Eccleſiarum Iaponiæ, & Chinæ, ſeu Imperij Synarum; vniuerſis, & ſingulis, has præſentes noſtras literas lecturis, viſuris, aut quomodolibet inſpecturis, fidem facimus, & teſtamur; qualiter RR. Patres, D. Petrus Auitabolis, D. Franciſcus Mancus, 62 D. Antonius Ardizonus, Sacræ Religionis Clericorum Regularium Sacerdotes profeſſi; & Andreas Lyppomanus Georgianus, eiuſdem Religionis Conuerſus; qui Nobiſcum ex Italia cum mandatis Sacræ Congregationis de Prop. Fide ad has Orientales Indias acceſſerunt; omnes, & ſinguli reſpectiuè, verbo, & exemplo, opere, & doctrina, tanquàm verè Apoſtolici Miſſionarij, præfulſerunt. Nam Andreas Lyppomanus Conuerſus, in ſimplicium 63 cœtu puritatem cuſtodiens, & à ſemita obſeruationis mandatorum Dei, & Regulæ ſuæ non aberrans; ſecundo circiter, poſtquàm in hanc appulimus Ciuitatem, anno, haud exiguo obedientiæ, patientiæ, multarumque virtutum exemplo dato, ſuique relicto deſiderio, in hac eadem Ciuitate Goæ diem clauſit extremum: Pater D. Franciſcus Mancus, non multis, poſtquàm huc peruenimus, tranſactis hebdomadibus, conuer-

uerſionis infidelium, ac animarum ſalutis amore feruens, ad Regna priùs Idalcàn, deinde Golgondà demigrauit; ibique Apoſtolicam paupertatem cuſtodiens, Chriſtianarumque virtutum, ac diuinarum rerum cognitione reſplendens, tam indefeſſa ſolicitudine Chriſti Domini Euangelium diſſeminauit; vt non paucos Infideles conuerterit; Apoſtatas ad Eccleſiæ Catholicæ gremium reuocauerit; ac Fideles confirmauerit: vt fatiſcente, ac ſuccumbente corpore, pijs confectus laboribus, poſt ſex circiter annos ex hac vita migrarit. Pater D. Antonius Ardizonus, qui pluſquàm ſeptem annis continuis in hac Ciuitate commoratus eſt, nedum religioſa perfectione, Chriſtianarumque virtutum exercitio; verùm etiam inſigni emicuit ſapientia, & eruditione. nam in publicis diſputationibus (quibus vt plurimùm interfuimus) magnam perſpicaciam, & ingenij acumen, ac in priuatis conſultationibus doctrinæ maturitatem oſtendit; & in publicis concionibus, quas frequenter habuit, tanta effulſit eloquentiâ, eruditione, conceptuum, verborumque affluentia, & (quod rarum eſt) in peregrino idiomate; vt communi omnium plauſu magna auiditate turmatim populi ad eum audiendum concurrerint. Reſplenduit præ cæteris magno ſalutis animarum zelo: nam cum cerneret, maiorem naturalium iſtarum partium fidelium multitudinem, vel vti nouiter ad fidem conuerſam, vel ob paupertatem, & ruſticanam vitam, vel ob ſeruitutem, 64 non ita perfectè Chriſtianis præceptis imbutam; partim aſſumpto incapacitatis prætextu, partim laboris effugiendi cauſâ, ad ſanctiſſimi Euchariſtiç ſacramenti communionem à Parochis non admitti; nec in extremis laborantibus Infirmis idem Sacramentum per modum viatici miniſtrari, nec adminiſtrandum cenſeri; nefas ducens, tot Chriſti Domini ſanguine redemptarum animarum ſalutem deſpici, vel potiùs non ita æſtimari, aut ita diligenter 65 curari; tanto ſpiritus feruore crebris prædicationibus, diſputationibus, ac priuatis admonitionibus eoſdem Parochos, eorumque defenſores conuicit, excitauit, & animauit; vt nedum ijdem pauperes, ac infimæ plebis fideles diligentiùs inſtrui cœperint; verùm etiam indiſcriminatim ad eiuſdem ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti communionem admitti; ac eis ſacrum Viaticum miniſtrari. Qua diligentia factum eſt, vt in Inſulis tantùm Goæ, & adiacentibus fermè centum millia fidelium 66 nunc communicent, qui priùs ſacra, & diuina non reficiebantur Synaxi; nec pauci Neophiti, adhuc Gentilium ſuperſtitione infecti, purgati ſint. Illuſtriſſimi denique, ac Reuerendiſſimi huius Ciuitatis Archiepiſcopi, Indiarumque iſtarum Primatis tutela, ac patrocinio fretus; multiſque ſuperatis contradictionibus; ne ſanctum hoc opus negligeretur à Parochis, illud publico eiuſdem Illuſtriſſimi Domini Archiepiſcopi

Primatis præcepto, ac ſanctione firmari fecit. Et ne alijs longè diſtantibus diuina hæc refectio denegaretur; idem Pater pijs literis, ac efficaci quadam, ſuper hoc à ſe habita, concione tranſmiſſa, idem fieri in alijs Ciuitatibus, ac Terris, in iſtis Indijs Curiæ Luſitanæ ſubiectis, ab earum Præſulibus, ac Parochis efflagitauit, eiſdemque non ſine fructu perſuaſit: multaque alia feruentis ſpiritus ſui edidit documenta. Pater tandem D. Petrus Auitabolis, ſuprafcriptorum Miſſionariorum ductor, ac ſuæ Religionis in iſtis Indijs Miſſionum Præfectus, ſicut præfuit iuriſdictione; ita etiam præmicuit ſpiritus feruore, manſuetudine, humilitate, caritate, vitæ auſteritate, ac denique religioſa perfectione; ita vt meritò ab omnibus, tanquàm viua Euangelij norma æſtimetur, & teneatur. Hæc partim, ſeù potiùs plurimùm experientia propria nouimus, propter intrinſecam cum dictis Patribus familiaritatem; partim publicæ famæ voce; partim aliorum teſtimonio accepimus; ac proinde, prout ſuprà ſcripta ſunt, etiam iureiurando affirmamus. In quorum fidem has præſentes fieri fecimus, propria manu ſubſcripſimus, ac ſolito ſigillo ſignauimus. Goæ die decimo Ianuarij, anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo octauo.

Fr. Franciſcus Antonius, Archiepiſcopus Myrenſis.

67 *Teſtificatio Superiorum, Regularium.*

NOs infraſcripti Superiores Prouinciarum, & Cuſtodiarum Indiæ Orientalis notum facimus, ac pro certo affirmamus omnibus, has præſentes inſpecturis; qualiter Clerici Regulares, Teatini nuncupati, qui iam multis ab hinc annis tranſmigrarunt in Indiam, rebus in ea magni Dei ſeruitij operati ſunt. Etenim præter alia multa, quæ vnus ipſorum
68 in Regno Golcundæ, ſuæ Miſſionis loco, patrauit; vbi (prout ſumus certiores facti) benignè admodùm, ac peramanter ab illo Rege, quin à toto Regno exceptus; atque ob ſuam vitæ probitatem, exemplum, & paupertatem, magno ſemper, quoad illam ſanctè finiuit, in honore, & opinione habitus; quamplures Gentiles ad Catholicam fidem conuertit; Apoſtatas ad eandem perduxit, ac reuocauit; Chriſtianis etiam, in partes illas appellentibus, opitulatus eſt;
69 eoſque per iter veræ ſalutis deduxit: cæteri, qui in hac Vrbe Goa nunc reſident, ſpirituale horum Fidelium bonum, animarumque ſaluationem communi omnium ſatisfatione, & plauſu promouerunt, ac promouent; ſuaque prædicatione vberem in ea fructum, in auctu maximè, & frequentia Sacræ Communionis, ediderunt: ſatagentes, vt omnes, ex Prouincijs hiſce oriundi, Fideles ſaltem in Paſchate, & mortis periculo, iuxta præceptum Domini noſtri Ieſu

Chri-

Christi, & Sanctæ Matris Ecclesiæ, communicarent. Cumque optimis 70
excellant moribus, atque institutum adeò sanctum, & extremæ paupertatis profiteantur; vt nec possint, tam in communi, quàm in particulari bona stabilia, aut prouentus vllos prætextu quolibet possidere; neque eleemosynas ad suis subueniendum necessitatibus postulare; sed vi Regulæ obstringantur sub diuina omninò prouidentia viuere ijs eleemosynis, quas Fideles, prouidentiæ eiusdem instinctu permoti, & sua sponte ipsis elargiri voluerint: sunt proindè vniuerso populo huic, qui 71
eos diligit, & in hac Ciuitate retinere exoptat, maximoperè grati, acceptique. quam etiam ob causam nos insuper eos amamus, ac magni ducimus: vtque in hac perampla Domini vinea exercenda cooperatores, ac socios habeamus; in hac Vrbe residere nobiscum, ac Fundationem, & Ecclesiam obtinere, percupimus. Quapropter omnia, quæcunque in illos super hac re conferentur, officia, & auxilia; optimo quidem iure collata, atque in Dei gloriam, & ho- 72
norem, animarumque profectus cessura esse, adiudicamus. Quòd autem omnia suprascripta vera sint, iuramus in verbo Sacerdotis, & has præsentes subscribimus. Goæ viij. Kalendas Nouembris, 1647. sub sigillo nostri Officij.

Fr. Petrus de S. Ioanne, Vicarius Generalis S. Dominici.

Fr. M.^d de Spiritu sancto, Vicecommissarius Generalis S. Francisci.

Fr. Martinus de S. Ioanne, Vicarius Prouincialis Patrum Matris Dei.

Fr. Gonzalus de Conceptione, Minister Prouincialis Obseruantiæ.

M.^d de Mendoza, Prouincialis Societatis Iesu.

Fr. Stephanus de Iesu, Visitator Generalis Carmelitarum discalceatorum Orientis.

Fr. Ioannes de Rosa, Prior huius Conuentus S. Augustini.

Testificatio Vicariorum.

FIdem facimus Nos infrascripti Vicarij Goæ, aliarumque illi magis adiacentium Insularum; qualiter postquàm accesserunt in Indiam Clerici Regulares Teatini, suo sancto zelo, doctrina, & virtute magnum in ea Deo Domino nostro obsequium præstitere, ac præstant in conuersione, & saluatione animarum, in quibus multa sanè cum solicitudine seipsos exercent: ac præ alijs R. Pater D. Antonius Ardizonus; qui cum perspexisset, in Prouincijs hisce ex vetusto, quique semper in eis inualuerat, more ad sacram Eucharistiæ Communionem non omnes Naturales, sed eos tantummodò, qui magis sufficientes viderentur, & capaces, admitti; morientes vt plurimùm, nunquàm diuinissimo hoc cibo refectos; maximè pauperes, seruos, mancipia, & qui genere viles à nobis æstimabantur; cuiusmodi sunt gentes illæ, quæ vulgò dicuntur Sudri, Curumbini, Saleiri, Mainati, & Farasi; qui sanctissimo

hoc Sacramento indigni, & incapaces ducebantur. quod cũ, vti diximus, prædictus Pater perſpiceret; efficere conatus eſt, rem profectò, nunquàm priùs tentatam; vt nimirùm omnes, quotquot ad annos prudentiæ peruenisſent, ſine vlla exceptione perſonarum, cuiuſcunque generis eſſent, & conditionis, communicarent, præſertim in Paſchate, & mortis periculo, iuxta præceptum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Sanctæ Matris Eccleſiæ; ac etiam, vt ijdem omnes, iuxta ſuam quiſque capacitatem, ad id efficiendum inſtruerentur; & idem auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum Infirmis per modum Viatici miniſtraretur; atque in ipſorum ædes, & tuguria, quantumlibet vilia, & anguſta, deferretur. Quocirca plurimas, hac in re ſibi oblatas, difficultates, & contradictiones, diuerſis habitis diſſertationibus, concionibuſque, ſuperauit: eo ſermone potiſſimùm, quem in Eccleſia Goæ Cathedrali habuit die ſolennitatis Corporis Chriſti coram Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo Domino Fr. Franciſco de Martyribus, Archiepiſcopo Primate; qui, vt Antiſtes zelo diuino flagrans, ſuarumque Ouium ſalutis ſtudioſiſſimus, operam quoque ſuam illi præſtitit pluribus edictis, ac mandatis, quæ per omnem ſuę Diœceſis locum promulgauit; præcipiens, vt adeò ſanctum, tantæque obligationis documentum ad effectum perduceretur; vti iam in præſentia fit, magna quidem huius Chriſtianitatis ſatisfa-

73

74

75

tione, & incremento; quæ proindè notabiliter ad morum, vitæque frugem meliorem euaſit, euaditque, ſiquidem complures generaliter cõfeſſi ſunt; multaſque Confeſſiones, irritè priùs factas, refecerunt. quodque maiorem attulit gratulationem, fuit conuerſio multorum Chriſtianorum, qui occultè erant idololatræ; ſed hanc ob cauſam ad Catholicam Fidem conuerſi ſunt. Efficere prætereà magno conatus eſt zelo, ac ſpiritu, & conatur prædictus Pater; vt in cunctis harum Inſularum Parochijs ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quod non, niſi in paucis quibuſdam, aſſeruabatur, reponeretur; vt maiori cum facilitate ſuccurri poſſet infirmis; nec vllus Chriſtianus ex eo, quòd in ſua Parochiali Eccleſia hoc idem Sacramentum aſſeruatum non habeat, ſine ſanctiſſimo Viatico deceſſurus ſit. Quapropter cum iſti Religioſi magno ſint emolumento ſpirituali Prouincijs hiſce; ac inſtitutum adeò extremæ paupertatis profiteantur; vt ſub diuina viuentes prouidentia, nec bona ſtabilia poſſideant, nec vllos exigant prouentus, nec tandem quæritent eleemoſynas; eſt proindè ſacra iſta Religio huic Orienti apprimè neceſſaria: faciliter enim homines hi, videntes Religioſos à bonis temporalibus alienos, à Gentilitate, ac Paganiſmo retrahuntur. Quòd autem omnia ſupraſcripta vera ſint, iuramus in verbo Sacerdotis, & has præſentes ſubſcribimus de mandato Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi Domini

mini Archiepiſcopi Primatis, noſtri Antiſtitis, nobis à prædictis Patribus Teatinis exhibito. Goæ Kalendis Nouembris anni 1647.

Pater Antonius de Norogna, Vicarius Guadalupi.

Pater Stephanus de Gama, Vicarius S. Laurentij.

Pater Martinus de Mello, Vicarius S. Blasij.

Pater Gonzalus Martis, Vicarius S. Ioannis Baptiſtæ.

Pater Franciſcus Serraus, Vicarius Noſtræ Dominæ de Aiuda de Ribandar.

Pater Philippus de Sylua, Vicarius S. Ioannis de Sabagù.

Pater Dominicus de Sylua, Vicarius Dominæ de Pietate.

Pater Antonius de Pigno, Vicarius S. Annæ.

Pater Coſmas Damianus, Vicarius S. Andreæ Goæ ſenioris.

Pater Didicus Antonius, Vicarius S. Simeonis.

Pater Antonius de Teues, Vicarius Dominæ de Conceptione de Pangim.

Pater Franciſcus de Braganzà, Vicarius Noſtræ Dominæ Gratiarum de Chorao.]

Hucuſque teſtimoniorum literæ; quæ cum in enarrandis Patris D. Franciſci Manchi progreſſibus, apud Golcundenſes Idololatras habitis, parciſſimæ ſint; ad illos etiam paulò prolixiùs referendos, alij oculati teſtes à nobis producendi ſunt. At enim plurima huius ſerui Dei, egregiè facta, facinora ignorantur: quippè à ſolo, ac nulli, qui ea indicare 76 potuiſſet, iuncto ſodali, patrata fuerunt in Golcundæ Regno, tam remoto, & à Fidelium frequentia alieno; vt adhuc eius ad Cælum tranſitus non, niſi octo circiter poſt menſes, Goam ad Noſtratium aures peruenire potuerit. Pauca porrò ex ijs, quorum notitia habita hactenus eſt, ſcripturis * authenticis affirmata, atque iurata fuerunt ab ijs Chriſtianis, qui eodem in Regno ſæpè verſati ſunt: vt ex infraſcriptis perſpicietur.

*Aſſeruãtur apud Cler. Reg. earum autem exemplar in Tabul. Sacræ Congr. de Prop. Fide

77 Die 20. Nouembris, anni 1645. treſdecim viri Luſitani, incolæ Prouinciæ S. Thomæ Apoſtoli in India; videlicet Antonius de Siquera, Michaël Dies, Baltaſſar Pereira, &c. (qui cunctorum deſiderat nomina, adeat Tabularium Sacræ Congregationis de Prop. Fide) Hi omnes, è Regno Golcundæ reuerſi, in authographo, à ſeipſis ſubſcripto in Canarà, ſequentia verba in ſacris Euangelijs deierarunt:

78 *R. Pater D. Franciſcus Mancus Teatinus tantum probatiſſimæ vitæ exemplum in Regno Golcundæ vel Mahometanis, vel Idololatris, vel Noſtratibus adimitandum propoſuit; vt reuera, iureque optimo ipſi congruat illud, quo vocatur, nomen Apoſtolici viri. Nunquàm enim à negotijs ſui ſuſcepti oneris vacat, magnum Paganorum, atque Gentilium numerum ad ſanctam Chriſti fidem perducens, multoſque eidem fidei reconcilians Apoſtatas. admirabili prætereà caritate, noſtrorum Chriſtianorum animis a mutuis inimi-*

citiarum diſſidijs ad pacem, & concordiam reuocandis operam dat; cuius quidem muneris obeundi præcipua a Deo gratia donatus videtur. Hanc autem ob cauſam, atque ob eximiam ſuæ vitæ integritatem, cùm in Fidelium, tum in Paganorum, & Gentilium corda tantum habet imperium; vt, quicquid poſtulet, magni etiam momenti rem, facilè aſſequatur a ſingulis. Illud porrò, quod in hoc religioſo viro potiſſimùm admirati ſumus, extrema fuit paupertas, ac miſeranda, quam ſuffert, inopia; cum tamen multarum, ſibi oblatas, pecuniarum eleemoſynas renunciauerit. Hinc ſæpè ægrotantem viſimus, omni, 80 qua iuuari poſſet, famulorum ope priuatum; immò & ipſo, in quo iaceret, cubili carentem. nec proinde iſtiuſmodi conqueritur incommoda, nec ſubſidium petit ab aliquo; valdè diuitem eſſe, inquiens, qui voluntarius pauper eſt. Deprehendimus inſuper in hoc Religioſo maximam caritatem, & zelum animarum: præſenti anno, vt Chriſtianis opem ferret, è Golcunda vſque in Gergelim ter iter confecit ferè menſtruum; ſemel verò ea ſolùm de cauſa, vt adulterę cuiuſdam mulieris, eiuſque matris, ac mancipij, adulterio illius conſentientium, mortem impediret: quod ipſe totum, magno adhibito ſtudio, prudentia, ac labore, optatum ad finem perduxit. illi tamen ea in re beneficium præſtitit; quę poſteà, vt liberè amaſio priſtino potiretur, Dei ſeruum, cuius frequentes increpationes æquo ferre animo non valebat, inſectata eſt ligne; quo intempeſta nocte, ventiſque perflantibus, in tugurio, vbi Pater iacebat, paleis congeſto, tam improuiſum excitauit incendium; vt vix è voracibus flammis, cum iactura rerum ſuarum eripi ille potuerit ſemiuſtus. Cum verò deinde rea femina veneno illum interficere minimè potuiſſet, veneficijs diuexare conata eſt. Rogatus fuit a Præſide Prouincię Biblipatàm, vt duos hortos dono acciperet; vbi Eccleſiam cum domo ſibi ædificaret: quibus Pater acceptis, Templum nunc extruit titulo Sanctę Crucis Teatinorum; eamque ibi Crucem depoſuit, quę hoc eodem anno coram Paganis, Gentilibus, ac Fidelibus Luſitanis, in Chouchim habitantibus, magnam ſanguinis copiam effundere viſa eſt. &c.

Prætereà die 26. Aprilis, ſequentis anni 1646. Manuel Antunes Aueirenſis, Ioannes de Moraës, qui nupſerat in Coulàm, vterque Luſitanus; & Georgius de Iacobo Armenus, qui vxorem duxerat in Vrbe Goa; in Curia eiuſdem Vrbis primaria per actus authenticos, & iureiurando, quæ ſequuntur, depoſuere.

R. Pater D. Franciſcus Mancus Teatinus, vir moribus, vita, exemplo 81 pręſtantiſſimus; ac plurimùm pollens virtute, zelo, & authoritate; magna integritatis famà celebratur, magnique penditur a Rege, & populo Golcundenſi. Cumque ab eodem ſibi Rege Gentiles ad Chriſtianam fidem conuertendi facultas data eſſet; nimiùm in Infidelium, Apoſtatarum, & Chriſtianorum ſalute procuranda profecit; multoſque a propoſito deſciſcendi a recta fide retraxit. Arctiſſimam profitens paupertatem, nihil pro ſe acquirit; ſed egenis, pau-

pauperibus, viatoribus, atque è naufragio illuc appulsis, suã eos in domum excipiens, quicquid possidet, elargitur, verus inopum pater, & desertorum. A mundanis rebus multùm est alienus; nihil proprijs de commodis solicitus: noluit, studio paupertatis, magnam pecuniæ summam, quæ ab Armeno quodam moribundo ei relinquebatur, accipere; solummodò ad muneris sui partes perfectissimè assequendas, ad vnam scilicet animarum salutem, sua omnia confert studia. Vndè diu noctuque Ecclesiæ sacramenta administrans; feruore, zeloque admirabili concionans; Templum quoddam summa omnium obtestatione ædificans, verum præfert Apostolicum virum. 82 83

Denique anno 1647. (postquàm tantus vir ex hac mortali vita decesserat) die 17. Iulij, Antonius Cyrne de Sylua, patricius Lusitanus, chirographo suo, iurato in sanctis Euangelijs, Goæ id, quod sequitur, affirmauit:

Viris ego comitatus decem, & septem, iter ex Vrbe Goa in Belgalæ Regnum terrà susceperam; vt huc, ductam amicillic, asportarem vxorem. Transiens autem per Regnum Golcundæ, comperi, Patrem D. Franciscum Mancum sibi iam extruxisse Ecclesiam, in qua liberè Sacrum diebus singulis faciebat. Perspexi interim, eundem Patrem maximos ibi progressus saluti animarum habere: conferebat enim Pœnitentiæ sacramentum Christianis tum manifestis, tum occultis, & Armenis, Georgianis, ac Mogborrensibus; quorum etiam liberos baptizabat. 84

multos præterea ritus erroneos corrigebat illorum, quos ad agnitionem Christianæ fidei, atque ad Ecclesiæ Romanæ statuta custodienda inducebat. Cæterùm vsque adeò habebatur virtute castitatis excellere, vt appellaretur vulgò Pater castratus. quocirca exploratum mihi fuit, illum a Paganis per mulieres, ad eius castitatem labefactandam immissas, non semel probatum esse; qui posteà, vt purissimi viri virtus pro merito commendaretur, factum promulgarunt vbique. Noui etiam, illum propter animarum conuersionem solitum longè latèque peregrinari; plurimùm apud Regem, Optimatesque illius Regni valere; cunctis, illuc proficiscentibus, in rebus quoque temporalibus nimiùm profuisse. &c.

Hæc, atque alia, quæ breuitatis gratia omittuntur, testimonia de virtutibus Patris nostri D. Francisci, eiusque in Infidelibus conuertendis progressionibus, transmissa fuerunt Romam cum prolixa relatione gestorum eiusdem Patris à D. Petro Auitabole Missionis Præfecto. Vndè peritissimus Doctor Hieronymus Fabri, Sacræ Congregationis de Prop. Fide Minister, typis dedit peruditam suam Opellam, cuius titulus est, MISSIONARIO APOSTOLICO; in qua Patris D. Francisci vita accuratè describitur.

Nuncium obitus eius, qui contigit circa finem anni 1646., Goam pertulit è Regionibus, Golcundensi Regno finitimis, epistola, ad Patrem nostrum D. Antonium Ardizonum data die 12. Martij, 1647.

à R. Patre Chriſtophoro de Gouea è Societate Ieſu, Collegij Ciuitatis S. Thomæ Rectore; qui hæc alia in ea ſubdit: Audiui præterea, eundem Patrem D. Franciſcum fel. mem. nullius momenti rem domi reliquiſſe poſt mortem: quarè omnes ex maxima eius paupertate, ac religione multum ceperant virtutis documentum. fertur etiam ſuper ſtoream humi ſtratam fuiſſe ſolitus decubare; ac villam quandam, à domino eius ſibi oblatam, renunciaſſe; magnam denique ſanctitatis famam, & odorem apud omnes reliquiſſe. &c.] Hactenus dicta ſufficiant de Indica Clericorum Regularium Miſſione; quæ cùm maiores hoc anno ex nouis Operarijs vires reſumpſerit, fructum deinceps creditur, ope diuina, vberiorem latura.

85

86

VT autem in Iberiam, & Colchidem, è quibus cum Patre Auitabole digreſſi fueramus in Indiam, iterùm reuertamur: relatis iam Iberorum erroribus, de Colchorum religione dicendum nunc ſupereſt. Et quidem iſtis etiam, qui ſunt cum Iberis, vt loci vicinitate, ita fide, ac religione coniuncti, ijdem prorſus ſuprà relati illorum mores, errores, & abuſus aſcribendi ſunt; quin & eò peiores, quò Colchi, ſyluoſos colles, & ſaltus vſquequaque horribiles, ſparſim more ferarum inhabitantes ſine vila, non modò Vrbis, ſed ne Pagi quidem, aut Vici frequentia; magis præcipites, efferatioreſque populi ſunt; maiorique inſcitia, & ſuperſtitione tenentur.

87

Quamobrèm eorum in rebus ſacris incuria eouſque peruenerat; vt vel ipſam verborum, Baptiſmo neceſſariam, formulam ignorarent; ſicut à Noſtratibus ſummo adhibito ſtudio compertum fuit. Hinc Baptiſmatis ſacramentum eodem ipſi ritu, quo Iberi, cæterò conferentes; à prolatione tamen eius formulæ (quæ adhuc inter hos, vti ſuperiùs dictum eſt, intempeſtiuè, & non ab abluente quidem, proferebatur) non ſolùm penitùs abſtinere ad hæc vſque tempora conſueuerant; verùm etiam, quò ſolenniùs Optimatibus ſacramentum illud miniſtraretur, vino interdum, & non aquà, fiebat ablutio.

Talis igitur in Iberia erat, & Colchide ſtatus Chriſtianitatis, cum ad ſpirituales Prouinciarum illarum vineas excolendas miſſi fuere Clerici Regulares. Iam verò, antequàm de horum incommodis, laboribuſque, & fructu quoque, ex earum hucuſque cultura percepto, diſſeramus; haud ab re ducimus, aliquam de ijſdem Regionibus, ipſarumque Principibus, præmittere narrationem.

De Iberorum Orientalium Regno, & bellis in eo nouiſſimè geſtis.

PRotendebat antiquitùs terminos ſuos ſub vnius moderamine Regis Iberiacum Imperium, ab Oriente vſque Ecbatana, Mediæ maioris

me-

metropolim, quam vocitant hodiè Tauris; ab Occidente, Meridieque vsque Trapezuntim, & Arzerùm; ab Aquilone demum ad populos Abasgos. lapsu verò temporum in quinque duntaxat Prouincias inter Euxinum, & Caspium mare se contraxerat: quarum quatuor ipsam Iberiæ Regionem constituunt; quinta est Colchis, moribus, lingua, Cælique temperie ab illis discreta, etsi finitima Regio.

Has ergo Prouincias annosus quidam Rex Iberorum, dum adhuc viueret, totidem filijs suis partitus est, singulas singulorum subijciens imperio. quæ prima erat, & caput Iberiaci Regni, Imeretum, siue alio nomine Bassaciuch ab accolis dictam; vbi Regia in munitissima vrbe Cotatis posita erat; primogenito vnà cum titulo Regis attribuit: Cardelium autem, Kachetum, Gurielem, & Colchidem reliquis quatuor; quos & maiori natu filio esse voluit vectigales. Patre ab humanis erepto, fratres minores, pendentes aliquando maiori tributum, inficiantur in posterum; ab eoque immunes fiunt, & Principes supremi: sui quoque iuris perstitere ad nostra vsque tempora successores.

Ab hinc porrò sex supra viginti circiter annos, præpotens Rex ille Persidis Sciahabàs, nescio quo percitus odio; nisi fortè, quod nullus Iberus tributo sibi soluendo esse vellet obnoxius; Cardelij, Kachetique Prouincias, ditioni suæ conterminas, populatus est, penitusque vastauit; innumeros ferè Iberos, cùm viros, 88 tum mulieres, inde in Persidem captiuos abducens. Oppressit mœroris ictu acerbissimus casus Theimaratium, vtriusque Prouinciæ Principem Christianum; qui, vt placatum redderet Persam, & captiuorum ad restitutionem alliceret; matrem suam ad ipsum allegauit oratricem, eximiæ pulchritudinis, pietatisque, & magnanimitatis heroinam. Hanc vt primùm vidit oculus, statim arsit cor Sciahabasi: amore ebrius, impietate plenus, nil intentatum reliquit; vt castissimam ad impudicitiæ, 89 Christianam ad apostasiæ flagitium traheret, non illecebras vniuersas; non minas, spondet Regni coronam, supplicia, & mortem intentat: ad extremum in fide, & castitate constantissimam expertus; actus in rabiem, sæuissimis illam vrget tormentis vsque ad extremi spiritus profusionem.

Tristi nuncio de crudelissimo genitricis interitu accepto Theimaratius, præ nimia doloris acerbitate penè disruptus est; vtque illum quo- 90 modolibèt vindicaret; ac deinceps tutius redderet ab incursione Persarum Dominium suum; id planè machinatus fuit incautus, quod posteà citra spem in maiorem suimet perniciem cessit. Dominabatur in Prouincia Gangiæ, media inter Persidem, & Iberiam, cultor Mahometicæ superstitionis, Daut Kan, subditus Regi Persarum; qui maleuolorum inuidia, & improbis artibus ex eiusdem Regis gratia, beneuolen-

tiàque non nihil exciderat. Cum hoc finitimo Principe firmiſſimo iunctus fœdere Iberus, non ceſſat eundem ad rebellionem in Sciahabas Regem per aſſiduam inſtigationem impellere, quouſque fit voti compos; ratus quidem vterque, coniunctis vnà ſimul viribus ſuis, poſſe longè diſſito, etſi potentiſſimo hoſti reſiſtere. Exæſtuat irà, vlciſcendæque ardore iniuriæ, hæc audiens, Perſa Tyrannus: quamcitiſſimè poteſt, Roſtuanum, Iberum genere, ſed apoſtatam, florentiſſimo inſtructum exercitu centum millium Perſarum equitum, ad fœderatos, rebelleſque Principes debellandos immittit; vt, qui ex Iberorum Primatum ſanguine pariter oriundus erat; alterius Iberi Ducis, ſi eum deuincere poſſet, ſibi iura, ac Principatum acquireret.

Validiſſimi huius terror exercitus vniuerſam funditùs tremore concuſſit Iberiam; quæ proinde putabat, ſub Perſicæ tyrannidis iugum ſe totam tunc temporis ruituram. Præ cæteris autem animo conſternati, ingentique metu perterriti ſunt Theimaratius, & Daut Kan; qui nunquàm arbitrati fuerant, ſe tot, tantiſque viribus inuadendos: quare hic, arrepta fuga, perrexit ad Turcas, relicta Gangia in manu Perſarum; ille verò, Iberus inquam, ſeſe in Kachetum recipiens, inter aſperrimorum prærupta montium communiuit; deſerens Cardelij Prouinciam hoſtilibus armis expoſitam. Hanc Roſtuanus, direpta, vaſtataque Kacheti planitie, proprio mancipauit dominio, caſtris duobus exceptis, quæ ſibi, ſuoque 91
præſidio iuſſit Perſa muniri; ne nouus Princeps deſciſcere valeret vnquàm à Perſis. Cæterùm Theimaratius, vt vnius ſaltem Kachetenſis Prouinciæ pacificè poſſet ditione potiri; filiâ ſua, ſpecie, gratiàque venuſta, in vxorem Perſarum Regi donata, vectigalem ſe in poſterum pollicetur: quibus permulcta munere, & obſequio, tandem ira potentiſſimi Regis ſedata eſt.

Dum hæc interim initio agebantur; in cæteris Iberiæ Prouincijs noui excitantur tumultus inter Principes Chriſtianos; nouique belli offertur occaſio. Tractabat gubernacula Colchidos Dadianus Princeps, ita cautè, prouidèque; ac tanta quidem vel in ſubiectos, vel in extraneos beneuolentia, & liberalitate; vt propterea ad ſui dilectionem, & obſeruantiam exterorum quoque Optimatum corda pelliceret. Hinc laudem ſuam præ Iberis Principibus vndique celebratam conſpiciens, ad ſuperbos actus vltra modum efferebatur: &, quod peius, perinde ac ſi præeſſet æqualibus, præſcripta ſibi cum finitimis Regulis iura tranſgrediebatur, & contemnebat in dies. Subijt ergo acerbiſſimum odium vicinorum, tum Georgij Regis Imereti; tum Simonis Principis Gurielis, cui vxor erat ipſius Dadiani germana; tum denique Abaſgorum Ducis: qui omnes ſolertiſſimam eius ſagacitatem, ac ſimul potentiam formidantes; animi liuorem ſimulatione tegebant. Conceptam maleuolentiam, 92

caſus, qui ſequitur enarrandus, adauxit.

In ſuſpicionem adducitur apud virum coniux Dadiani, filia Ducis Abaſgorum; quòd, fide thalami violata, habuiſſet rem cum Viſiro (hoc nomine Colchiaco Principi gratioſiſſimus omnium aulicus nuncupari ſolet). Et quidem ea res, quæ manifeſta omnibus erat, quamuis nullam in Colchide turpitudinis notam pro more inureret; apud Principem tamen, quòd ſecundis perpulchræ, atque illuſtris adoleſcentulæ nuptijs animum intenderet, vxoriſque in dilectione frigeret, malè multùm audiuit; quapropter habita vt turpiſſima, illum irritauit ad vltionem. Vleiſcitur ergo Barbarus ſupplicio non mortis, ſed morte quidem ipſa crudeliori: amputat adulteræ Principi naſum, aures, & linguam; moxque, renunciato repudio, illam remittit ad patrem, quem ob id ſibi facit infenſiorem. Dein agens mitiùs cum adultero (quo ſanè ingenioſior, ac ſolertior nullus è Satrapis); apprehenſum non mutilat, non capite punit; neque, ne huius artes ſeditionem in populo concitarent, apud ſe in vinculis detinet; ſed in Gurielem ſub tuta miſſum cuſtodia, Simoni Kan leuiro ſuo, quem ſibi putat amicum, concredit; enixè rogans, illum ne ſineret euagari.

Annuit Dadiani votis amicus fictitius hilari, ſed ſimulata fronte: acceptum porrò Captiuum adhibet crebrò in ſecretis conſilijs; qui, vt

94 ſuæ proſpiceret incolumitati, occaſione reperta pro animi ſententia, non parcit inſolentiæ Dadiani diſertis, pleniſque vocibus oblatrare. Ergone ſubdetur, ait, Iberia Colchidi? Ecquid ò Principes Iberi præſtolamini vlteriùs ſpectaturi? En iam cernitis elatum animo hominem in dies ſingulos magis magiſque iura veſtra proterere, pluſque ſibi aſſumere, quàm ratio vlla ferat. En iam obſequio, famà, viribus perpetim, vberrimèque ſuccreſcit dede-
95 cori, decrementoque veſtro. quidni è Colchiaca, humilique valle erectus, dum permittitis vltrò, coronatam ceruicem attollat nouus Rex, nouus Imperator; vt excelſa, indomitaque hactenus, veſtri Caucaſi iuga iugo ſubdat, ac domet? quidni, dum ſuccumbitis vltrò, ad ſummum Iberiæ totius Imperium ſuperbus aſpiret? an tum valebitis, cum tandem potentia exaggeratus cunctis erit pertimeſcendus, obſiſtere? profectò inueterato, corroboratoque morbo fruſtrà, dum ſerò, parabitur
96 medicina.

His, & ſimilibus ab induſtrio, nauoque Captiuo exacerbatur, & incitatur magis in Colchum odium Iberi Ducis Simonis; qui, cum pariter impius, & cruentus admodùm eſſet (vt citiùs enim regnare potuiſſet, ſuum ipſum iugulauerat patrem); ſolicitè ſciſcitatus fuit ab hoſpite: quænam foret via dolis aptior? quibuſue communis, ac latens hoſtis tentandus inſidijs; vt poſſet vitâ priuari? His etiam ſine cunctatione ſuggeſtis,

gestis, mittit clanculùm nuncios ad Abasgum, atque ad Imereti Regem Georgium; quos factos de re, commodoque publico certiores, facilè ad suam trahit sententiam. Itaque de Dadiano per insidias obtruncando tres isti coniurant: vel, si fortè his patefactis alienum à voluntate exitum res haberet; de eodem tribus vndique exercitibus statim, & vno tempore circumuadendo deliberant: vtcunque demum, ipsum prorsus è medio tollere; ac Iosephum eius fratrem, eidem conspirantem sceleri, in locum demortui Principis subrogare.

97 Ergo reperitur, ac mittitur, qui cædem cautè committere sciat; &, si nequeat, coniuratione tentatam fidus celet, ficarius veterator. Detinebatur hoc tempore Dadianus festiuis nuptiarum solennijs implicitus: etenim prima repudiata coniuge, vxorem patrui sui Lipardiani, cuius iamdiu amore flagrarat, nuper vi raptam, superstite adhuc, & inuito viro, sibi matrimonio copulauerat: quod quidem ob scelus idem Lipardianus, dolore vehementer oppressus, propediem vitâ excesserat. Iamque extructum erat opaca inter nemora Colchidis, ad nuptiarum conuiuia æstate celebranda, auraſque molliter, ac delicatè captandas accomodum, triclinium amplum, & cancellatum. Cuius intra repagula dum Princeps in pleno conuiuio recumbens, & incumbens tergo cancellis; epulationibus, ac potationibus, canticis, & symphonijs cum innumera seruorum, & conuiuarum turba oblectaretur; aduènit extrà occultus, & ab equo desilijt grassator: tum ad latus triclinij posticum lento accedens pede, arreptam iecit lanceam per cancellos, fixitque, vi quanta poterat, in dorso Reguli: mox in equum citò resiliens, vitam suam celeri fugæ mandauit. Exanimata seruorum pars fuso, ac semineci accurrit domino: altera pars interrita velocissimis rapitur equis persequens homicidam; quem tamen assequi minimè potest.

98 Dum interea coniurati Principes, læti non magis de patrato facinore, quàm de non prodito coniurationis arcano; Dadiani mortem auidissimè expectabant: ille manibus periti chirurgi lethale vulnus committens; nil aliud magis diu noctuque animo solicito reuoluebat, quàm coniecturas, quibus posset prædiuinari; à quonam ictus veniisset. Et iam rerum omnium, non relatu quidem; sed suo, vt dicitur, marte gnarus; machinati sceleris auctorem, patronosque singulos mira, qua pollebat, ingenij perspicacitate cognouerat: prudens tamen celat silentio, ac nescire se simulat, quæ non poterant, opportuno *nisi tempore, vindicari; vnius* solummodò rei tunc habita ratione, nimirùm salutis recuperandæ.

99 Bimestri ergo dubietate anceps suspenditur sauciati Principis vita: deinde habetur incolumis: tandem pristinis perfectè viribus restituitur. Iam valens, ac vegetus, iubet, hominis cuiusdam, qui criminis con-

ſcius coniecturà iudicabatur, amputari dextram, oculoſque exuri; ratus, hac ſolùm pœna ſe cunctis perſuaſurum, de inflicto vulnere vltum ſatis: quippè mos erat in Regione, non plecti capite, niſi vel Eccleſiæ direptorem, vel cuius vita Principis, aut Principatus immineret exitio. Hoc facto, interiectoque non modici temporis interuallo, miſſis in Gurielem Oratoribus, maximas Simoni gratias & agere, & habere ſe fingit; quòd concreditum ipſi Viſirum tandiù in ſui gratiam cuſtodiſſet: at nunc, vt velit eum ad ſe remittere, petit. Contrà verò Captiuus, animo ſibi malum venturum præſagiente, multùm anxius; rogat Simonem, ipſe ne mittatur: certè ſcio, inquit, ad capitale me ſuppliciũ accerſiri. At ille, quid times? reſpondit: haud enim noſtræ patuerunt inſidiæ: cæterùm ſi quando tutus adhuc omnino non eris; ab omni quidem periculo ſecurum te mea redditura eſt commendatio.

Itaque Dadianus redditum ſibi Viſirum, & officiosè etiam commendatum, teneri ſub cuſtodia iuſſit, debitas molitori tanti ſceleris, citò pœnas perſoluturum. Deinde, nulla interpoſita mora, Colchos vniuerſos, qui noſſent arma tractare, maximè verò Proceres, intra diem conuocat, & parat ad bellum. inſtructum agmen triginta millium armatorum, quorum pars maior equites, ſuſpenſum animo tenet, primamque ſequentis diei differt ad lucem. Nullam ſanè magis virtutem in hoc Duce laudauerim; quàm celeritatem, & occultationem ſecreti. Nocte interim intempeſta, exercitu quietè compoſito, fragor ingens, horribilis inſtar tonitru, improuisò auditur; quo vndique Colchicæ valles, & Iberi procul reboant montes. excitæ ſomno ſurgunt illicò exterritæ copiæ; atque ex conſuetudine loci conſciæ infauſti ſigni, quiſnam è Dynaſtis ſit iuſſu Principis neci datus, interrogant. ſiquidem mos obtinuerat, vt, cum aliquis è Primoribus, cauſa perurgente, fuiſſet morte, aut graui pœna multandus; (ſolebat enim hoc raro contingere:) ne qua populi ſeditio, re ante exitum euulgata, conſanguineorum ſontis, amicorumue induſtriâ oriretur; occultè, atque inopinatò id noctu executionem haberet: tum, vt ſupplicium horrifero ſigno, & quo conterriti reliqui frænarentur in poſterum, in tota ſtatim promulgaretur Prouincia; bellicum prægrande tormentum, quod vnum, & hunc ſolùm ad finem media conſeruatur in Colchide, bombum horrendum emitteret. Dum igitur multitudo nouitati rei curioſas intendit aures; ecce Præco, clangore tubæ præmiſſo, è tabernaculo Dadiani proclamat: *Diſcite vniuerſi fide incorrupta morem gerere Principi. Ioſepho Dadiani germano, in vitam fratris, vt Regno ſcelere potiretur, cum Simone Kan Gurielis coniurato, oculi iam effoſſi ſunt. Item huiuſce Regni Viſirus, cubilis dominici violator, conſciſque coniurationis molitor, ne ampliùs eiuſmodi ſtruere poſſet inſidias, vinus intra*

tormentum immiſſus, vnà cum bombo per aërem diſperſus interijt. Eo idcirco bellum indicitur Gurieli; manè properandum ad pugnam.

Hæc ille palàm pronuncians, ſuppreſſit ſilentio crimen aliorum coniuratorum; ne aduerſus vnum Dadianum, qui eos imparatos, ac ſingulos inuadere cupiebat, varij ſimul hoſtes promulgatione prouocarentur. Infremuit in nefarios proditores, audito Præcone, Colchorum exercitus vniuerſus; qui, dato æquitatis læſi Ducis, exactiſque iure ſupplicijs plauſu, ad iuſtas quoque pœnas armis à Simone capiendas ſeſe inuicem excitarunt. Oriente vix luce, impiger Regulus iter quatridui ſuſcipit, aciem greſſu feſtino in Gurielem deducturus. ac Phaſidis quidem per flumen (Rion incolæ vocant) quod Iberiam, atque Colchidem interfluit, agmine traiecto, incipit vndique Regionem vaſtare. Iamque ſparſi rumores, ijque conſtantes, ad Vzurgheti Regiam Simonis peruenerant; qui coacta properè manu militum, quantacunque potuerat in ea imminentium periculorum anxietate, & temporis anguſtia celeriter adunari, venit obuiàm inimico.

Collatis iam ſignis, vtrinque læuiſſimum initur certamen; quippe vtraque pars, non minùs ob nimiam feſtinationem, quàm propter odium inteſtinum, ad pugnam concitata ſpiritu erat. Itaque alij eminùs crebro telorum iactu acriter in hoſtes deſæuiebant: iactaque ſibi tela clypeis, & corporis motu vitabant. cominùs a- 103
lij lanceis, mucronibuſque, & tortis congrediebantur machæris. fuſum eſt pari marte hinc inde non modicum ſanguinis; & victoria ſanè diu anceps, tandem videbatur flecti paulùm potiùs ad Dadianum. Quamobrèm Patriarcha Iberiæ Malachias, frater Simonis, qui pro germano dimicabat primæ, atque omnium ſtrenuiſſimæ dux aciei; ſiue ſpe erectus regnandi loco fratris, ſiue deiectus animo ob excedentes Colchorum vires, actutùm in Simonem pro Dadiano vertit arma ſuæ 104
cohortis: ſimiliter, eius exemplum ſequuti, duces nonnulli fecere. Hinc cedente Colchis, ac fugata parte reliqua exercitus Iberorum; armis vndique hoſtilibus circumſepitur, atque capitur Simon.

Victoriam igitur conſequutus Colchorum exercitus, ad fugientes ſtrenuè inſequendos, trucidandoſque iam irruebat; ſed cohibitus fuit à Duce, cui quidem viſa eſt, poſt captum hoſtem, in inſontes, & Chriſtianæ 105
religionis cultores non eſſe ampliùs adhibenda ſæuitia. Hac indulgentis animi magnitudine, pietateque illecti vniuerſi Gurielenſes Primates, debitum victori obſequium præſticturi, adeunt illicò Dadianum; qui cunctos honorificentia magna exceptos, & comitate, his alloquitur verbis: Non ego, nobiliſſimi Viri, ad Regionem euertendam, aut occupandam; non ad excindendos beneuolos, & amicos; ſed vnum tantummodò ad proditorem Principem debel-

bellandum, huc veni. Profectò inulta mihi non relinquenda erat grauissima hominis fraudulenti offensio; qui, nulla vnquàm lacessitus iniuria, quantùm me læserit immerentem, planè iam nostis. Cæterùm haud quaquàm par erat, vt magnificentiæ vestræ præesset, fideliſſimoque tot, ac tantorum Procerum obsequio potiretur, qui non leuiri tantùm capiti iniquus, ac fœdifragus tetendit nuper insidias; verùm etiam immoderatæ olim ambitione, ac citò regnandi auiditate exesus, moræque impatiens, æquo pati animo maluit, sacrilegas manus in sanguine genitoris fœdare impius parricida. Hæc fatus, adducto in conspectum infelici Simoni ignitis iussit laminis oculos exiccari, atque obcæcatum è Regno detrudi; qui vectus Constantinopolim, & apud Regem Turcarum deploratis in Dadianum fruſtrà querelis, inde nauigauit Hierusalem; vbi religiosæ vitæ instituto diem clausit extremum. At verò Dadianus, Guriele subacta, hosteque iam Sede depulso, Malachiæ, noua priùs tributi, ab eo sibi soluendi, pacta exactione, Prouinciæ dominatum concessit. tum pede illinc relato, in Colchidem & sororem suam Simonis vxorem, & opulentissimum thesaurum, è Regia eiusdem Simonis abreptum, & exercitum thesauri parte larga manu remuneratum traduxit.

Inter hæc autem Georgij Regis Imereti, itidemque Abasgorum Ducis pectora; quibus miserandus obcæcati, eiectique Simonis euentus timoris iam multum incusserat; varijs 106 curarum fluctibus agitabantur. & res quidem inter spem, & metum eorum suspenderat animos. hinc criminosæ conscientiæ redargutio iamiam irruentes in ipsos Colchorum phalanges, ac seuerum vindicem Dadianum ob oculos proponebat: hinc, quam imaginabantur, suæ conspirationis occultatio magnam sibi spem, & à bellorum incommodis securitatem facere videbatur; maximè cum Colchiacus Princeps inflicti quondam sibi vulneris reos, solos duntaxat Visirum, Simonem, & Iosephum, in 107 quos vltus iam erat vsque affatim, præconio promulgasset. Altera subinde non minùs perplexa dubietas ipsorum occupauerat mentes: num congregatis copijs in procinctu stare deberent, exitum rei præstolantes armati, nequando improuidi appeterentur? an motu armorum, quo crimen forsan occultum, exploratum certè, ac publicum fieret, abstinerent? postremum hoc tandem, seorsim, & consilij alterius inscij, (quippe inter Abasgos, & Imeretum Colchis erat media) eligere statuunt.

Dux verò Colchidis, ac versutus satrapes ille Dadianus; qui, vt Caucasios cliuos ditioni iungeret suæ, Iberorum Magnatum beneuolentiam largitionibus, alijsque blanditiarum illecebris consectari, nulla intermittebat die; quamuis certum Abasghi, Georgijque crimen, non ipsi vt certum, sed coniecturale proponeretur; arripuit tamen lubens vel minimam, quam diù quæsierat, oblatam occa-

ſionem; quæ, ſi ad bellum iuſtè inferendum nequaquàm ſufficiebat; ſuperfuit tamen imperitandi cupiditati, quæ per bellum explenda erat. Dimiſſum igitur fatigatum exercitum, & ferè per hebdomadam ſuis in domibus è labore præterito recreatum, extemplò iterum conuocat, luſtrat, ac recenti, fortiſſimoque milite roborat. Tum mittit citò ad Regem Georgium feciales legatos; qui ei bellum indicerent tali, ne ſuſpicioſus ipſe fieret Abaſgo, prætextu: quòd fœdo iunctus fœdere cum Simone, percuſſorem ad ipſum inſidijs opprimendum miſiſſet; vt Colchis, in ſtatum priſtinum redigenda, Imereto, Iberoque Regi ſubigeretur. Nec dum Cotatis regalem ad vrbem legati peruenerant; cum ipſe, quaſi ad triumphum potiùs, quàm ad conflictum iturus, vnà cum vxore ſe viæ commiſit, exercitum conducturus in Imeretum.

Porrò Georgius, cui proprium crimen timorem attulerat, magnam quoque timor ſuſpicionem, qua in explorãdo quemlibet aduerſarij motum penè ſcatens oculis Argus euaſerat; ſtatim ac inimicum ad ſe iter direxiſſe, per ſpeculatores præſenſit, manus vertit ad arma; Procereſque omnes, & copias celeritate maxima congregauit. Cumque armatam inſtruens aciem; turmaſque, & cohortes duces ſub ſingulos in ordinem referens, exercitui obequitaret; milites vniuerſos pauore exanimatos animaduertit: (Colchorum namque phalanges, ex Gurielenſi victoria impetu magno, & audacia redeuntium, terrore regionem impleuerant). Quare licet metu fluctuans agmen, ſuo ipſe diſſimulato timore, ad animos, & fortitudinem reuocare pro viribus conaretur; vix tamen valuit tantum illis addere animorum, quantum ad primam hoſtium aggreſſionem ſuſtinendam ſufficere videbatur.

Intereà Dadiani copijs, Imereti fines ingreſſis, atque in vniuerſam Prouinciam debaccatis, vix obuius fuerat Pagus, aut Vicus; qui latrocinijs direptus, cladibuſque luctuoſis repletus, poſtremò voracibus non fuiſſet flammis abſumptus. horribilis viſu pompa! vndique cernebatur incendijs Regio conflagrare; cuius quidem cinefactæ reliquiæ, oculis deinde meis per iter exhibitæ, lacrymas quoque mouerunt. Cæterùm efferatus, præceplque exercitus, non ſecus ac flumen inundans; omnibus longè latèque perturbatis, & ad perniciem redactis; ad vrbem expugnandam, & ſtragibus obruendam rapidiſſimè ferebatur. Ingens erat agreſtium Iberorum numerus, huc illucque pericula fugitantium; alij montium præruptorum petiuere ſeceſſus; alij ſub obſcuras nemorum latebras abdidere ſeſe; reliqua pars ad Vrbem, & Georgium effugium habens, maioris fuit cauſa timoris eius agmini trepidanti.

Occurrunt ſibi tandem haud procul à Ciuitate, ſimul congreſſuræ, manus vtriuſque Ducis. Colchi tanto irruunt impetu in Iberos; vt prima horum acie fuſa, cæteros facilè non

in fugam modò conijciunt; ſed etiam viriliter perſequuntur, aſſequuntur- 112
que pleroſque; è quibus plures capti ſunt, quàm occiſi. Hos inter Rex quoque Georgius, dum è manibus hoſtium munimento euadere fugæ celeri properabat, captiuus remanſit.

Finito huiuſmodi euentu prælio; Vrbs Cotatis, Dadiano victori ſe deditura; cùm ad pacem petendam, tum ad veniam Regi ſuo impetrandam, caduceatores emittit; quibus ille benignè exceptis pollicetur vtrumque, ſi Rex, in poſterum ſibi 113
morigerus, obſequium promiſiſſet. Hic, in arcto iam poſitus, vltrò ad conſenſum inducitur; pactionibuſque confectis, ſpondet, auxilio, quotieſcunque opus eſſet, Dadiano cum copijs ſe venturum; ac prætereà ducenas Armeniorum, nonnullaſque Iudæorum familias, quas ille ad Colchidem inhabitandam, & negotiationem in eam introducendam inſuper quæſierat, traditurum. Vt verò ſancita, atque iurata fœdera ſanguine mèdio iuxta morem confirmarentur; Dadianus ſuæ vxoris vbera (demi- 114
randa ſanè diſſoluta Barbarorum conſuetudo!) obtulit Georgio Regi ſugenda.

Ita rebus in Imereto compoſitis, redit Colchus in Patriam; atque in accliui cacumine iugi arcem extruit validiſſimam, vrbemq. circumſtruit; in qua conductum victoriæ trophæũ, Iudaicum, Armeniumque populum collocauit. His peractis, bellum aduerſus Abaſgos capeſſit; qui, cum aſperrimos montes, & inacceſſas incolerent rupes, admodùm longum illud, ac difficile reddiderunt: tamen nihilominùs, iteratis per ſingulos annos aggreſſionibus, coacta denique fuit aſpera, & montana gens; vt poſſet imperturbata viuere; & ipſa collum ſubdere Colchiaco iugo. Studioſiùs itaque, ac feliciùs nouit inuictiſſimus Dadianus, qui vitam hactenus ſub proſpera ducit fortuna, ſui amplificationem Imperij vlciſcendo contrechnari; quàm noſſent anteà inimici demolitionem eius offendendo moliri.

De Colchidis Regione.

COlchis eſt Aſiæ regio iuxta Pontum; ab Ortu, & Meridie Iberiâ; ab Occaſu Euxino mari; à Septentrione Corace monte clauſa. Huc Iaſonem cum Argonautis nauigaſſe, aureumque vellus inde in Græciam retuliſſe, Poetæ fabulati ſunt. Vniuerſam certè Prouinciam, cuius ambitus eſt plus minùs quatuor millium ſtadiorum; vnicum dixeris nemus, vſquequaque ligneis, rariſque domibus ſparſum; vbi (Caſtro Kalachis excepto, ab hodierno conſtructo Principe) nec vrbs, nec oppidum, nec pagus incolitur vllus. Montoſa licet, interſtinctaque collibus, non ſilice quidem, ſed molli terreno obſitis, & ſyluoſis; ima tàmen, depreſſaque regio eſt; montibus vndique altiſſimis, ab Aquilone Coraxicis, ab Oriente, Meridieque Caucaſijs circumuallata.

Hinc magnis, piſculentiſque ſca-

tet fluminibus; in quibus vberrima, prædulcium maximè Silurorũ, quos aliter Sturiones vocamus, piſcatio fit. præ reliquis autem Phaſis, ipſam ex Iberia diſterminans, apprimè celebratur; à quo Phaſiani, quòd maximus eorum feratur ibi prouentus, nomen traxere. Paludibus etiam, limoſiſque lacunis paſſim obruitur. quò fit; vt, aëre humidiſſimis exhalationibus corporeſcente, non ibi tonitruum, non turbinum eruptiones, neque grandines, aut ignitæ faces, aliaque, quæ ſicco excitantur, metheorologica vnquàm miſta generentur; ſed tantummodò pluuiæ, quæ tum hyeme, tum æſtate ſunt fermè quotidianæ.

Infatuatur idcirco illic natura cunctis in effectis: hebeſcit herbarum virtus, odor florum, frugum ſapor; ſerpentes etiam, ſcorpioneſque, quorum eſt terra ferax, veneno carent; ſed & lectus ipſe à ſuo cimice, & pulice tutus eſt, ſi non à ſitu, ranisque. Quapropter omnibus ex humido enaſcentibus morbis magnoperè ſit Colchis obnoxia; hydropiſi potiſſimùm, febribuſque frigidis, ac periodicis; cuiuſmodi ſunt tertianæ, & quartanæ. Vermiculari vltrò ſolent frequenter, non humana modò corpora in ſtomacho; verum etiam brutorum animalium; ſues præſertim, quorum ſæpenumerò carnes ipſæ, quòd fortè etiam naturà humido abundent, etſi viuidæ, aut tunc exectæ, verminoſæ tamen reperiuntur.

Eſuriunt proinde cuncta viuentia eſum ſalis; cuius tanta quidem in regione caritas eſt, & appetentia; vt vel homines illud, perinde quaſi ſaccharum Creticum, belluino more commanducent. Infima gens, quæ vel nuda prorſus, vel ſimplici induta tunicà eſt, vitam à nimio madore tutatur aut labore, aut continua ignis præſentia: Nobiles verò tum igne, tum iugi motu. perequitant enim Prouinciam toto ferè anni tempore errabundi, huc illuc per ſua prædia domicilia transferentes; cum roſcidum clima vix diuturnam in loco ſtationem humanæ vitæ permittat. Ego quidem triennio, quandiù in Colchide degere iuſſus fui, quartanam mihi febrim, hydropico tumori annexam, aſſidua per nemus equitatione munia Miſſionis exercens, extenuaui, macerauique: ac ſæpè contigit, vt rigidam eius acceſſionem, ſeu paroxiſmum in itinere tremulus equiſeſſor compeſcerem; aut interdum, cum ſolito aſperior illa erat, deſiliens, ligatoque ad arborem equo, ſuper gramina iacens ſuſtinerem, vſque dum rigor in calorem migraſſet. plurimùm profectò ad ſalutem recuperandam, & motus ille frequentior, & fumus panacèæ, vulgò dictæ *tabacco*, mihi contulit.

In agris igitur, humore perpetuo vireſcentibus, innumera gregum, & armentorum, equitiorumque paſcitur multitudo: & equorum ſanè nuſquam gentium illà vidi copioſiorem; Optimatum alij quingentos, alij mille, Princeps eos ad quinque millia poſſidet. Hinc mirabilis viſu eſt aſſidua, inter ſe ibi pugnantium equorum,

imò quàm belluæ, immanitate efferatur; vt nec exhorreſcant Proceres (quod recolere vnquàm non valeo ſine lacrymis) ſubditos ſuos Chriſtianos pretio vendere, dareque Mahometanis mancipio: quorum quotannis plùs tria millia Turcicis nauibus è Colchide Conſtantinopolim per mare nigrum, non ſecus ac fabulosà Charontis cymbà per Cocytum ad Inferos, tranſuehuntur. Et ipſe quidé teſtis rei ſum oculatus; qui eàdem ſemel viâ ferè trecétos ex eis mecum in naui comites habens, ac in fidei conſtantia pro mea virili parte confirmans; vni moribundo, priuſquàm vitâ decederet, ſacramentalem abſolutionem præbiturus, vix potui per nutus, ne ſuus aduerteret herus, ipſum ad pœnitentiam exhortari; perque nutus ab eo ſigna contritionis accipere. 121 122

Prædictam itidem ob cauſam nulla exercetur in Colchide negotiatio, aut commercium; imò nec vlla eſt officina, vel, in qua merces venditentur, taberna; & ſic neque etiam vſus nummorum. quare Magnatum domus, è quibus nec aurum, nec argentum vnquàm extrahitur, pretioſa ſupellectili, præcipuè veſtimentis, & argenteis, aureiſque vaſis, ſuorum ſubiectorum venditione coëmptis, abundant. vnicuique verò, quæ ad victum neceſſaria ſunt, ſiue à prædijs, vel armentis, gregibuſque; ſiue à ſubditis ſuis ſuppeditantur. de cætero per mutuam rerum commutationem viuitur: nimirùm lana ſelibrali. v.g. aut pugillari ſale gallina rependitur; duplici gallina gladiolus: quatuor gladiolis capra; veruex geminà caprà; bos tribus verutcibus; equus duplici, aut triplici boue; ac ſimiliter de reliquis. Res verò, quæ præterea vice pretij paſſim in commutatione mutuantur, præcipuæ ſunt ferrum, æs, arcus, ſicæ incuruæ, vaſa, tapetes, fruges, telæ laneæ, lineæ, ſericæ, goſſipinæ, &c. Indicuntur autem à Principe, ad merces huiuſmodi commutandas, pluries in anno, ſtatutis diebus, lociſque emporia; quò & Princeps ipſe ſolenniter, & populus vniuerſus conuenire ſolet. 123

De Colchico Principe.

COlchorum Regùlus hæreditariâ ſemper ſucceſſione, quemadmodùm & alij Iberorum Principes, auitum regnum aſſequitur; vocaturque perpetuò ex cognomine Dadianus; quamuis proprium præſentis Reguli nomen ſit Leuàn. Huius ſecunda coniux, ex qua liberi procreati ſunt quatuor, duo mares, Alexander, & Manachiar, duæque fœmellæ, Ghul, & Zira; vt ſua regnaret proles, geminum prioris vxoris filium vnam intra diem veneno interfecit. minorem natu filiam, nempe Ziram, deſponſam aiebant primogenito Alexandri Regis Imereti; qui adhuc ipſe, vti contigerat Dadiano, repudiata adulterij causà prima coniuge, filiam Theimaratij, Principis Kacheti, vxorem duxerat. Soror verò Dadiani, virtutibus ornatiſſima; quæ Simoni, antequàm è Ghu-

rielenſi is throno deturbaretur, nupta fuerat; deinde Roſtuano, Car- 124
delienſis Prouinciæ Principi apoſtatæ, matrimonio copulata eſt; qui, vt illam, Mahometani viri nuptias reſpuentem, dolis ad ſua vota pelliceret; caput à quodam ſibi Sacerdote ablui iuſſit, Chriſtianæ ſe fidei ſic fingens quaſi per nouum baptiſma reconciliatum. illa tamen, infideli licet viro coniuncta, à Chriſti fide, quam hactenus conſtantiſſimè profitetur, auerti vnquam non potuit.

Pendit Colchiacus Princeps Imperatori Turcarum *quaſdam pro tributo* lineas telas; quibus cum mittit 125
etiam dono pueros nonnullos, puellaſque formoſas. Hoc ei obſequium, haud metu quidem vllo impulſus; cum vtriuſque ditionem Iberiæ pars interiaceat; ſed veteres potiùs Maiorum ſuorum conſuetudines ſeruaturus, præſtat. Arctiſſimo præterea neceſſitudinis vinculo eſt Perſarum Regi adiunctus; ad quem vnum è Primatibus, centum aſſectatoribus lautè ſociatum, in triennia ſingula oratorem legat. Ampliſſima per hũc 126
illi mittere Colchica ſolet munera; ſagaces præter alia, acerrimoſque canes venaticos, ac multas etiam rapaces prægrandium accipitrum ſpecies: plurima viciſſim ab eo dona recipit Perſica, præcipua Elephantos.

Subſunt ciuili eius dominio centum quinquaginta Demarchi cum ſubditis ſuis; tyrannico verò iure in decem & octo millia familiarum, quas etiam poteſt, vti mancipia, vendere, dominatur. ſimili circa ſuos ſubiectos potiuntur iure Demarchi. Potens eſt in aciem educere equitum viginti millia, ac peditum decem millia; commeatus tamen defectu prælium vltra menſem prorogare nequit.

Præter lapideum, ac ſumptuoſum ædificium, quod illi Regia eſt; alia poſſidet lignea, vbique ſparſa per Regionem, viginti quinque palatia; quæ circum ſingula reperire eſt vineas, hortos, pomaria, prata, venatoria nemora, & paſcua quoque, vbi *copioſa gregum, & armentorum* paſcitur multitudo. Omnia hæc circumcurſans quotannis habitacula; vnà cum vxore, ancillis, matroniſque pluribus comitata; necnon cum conſueta ſuorum trecentorum familia, ac duobus è noſtris Patribus, hodierno Principi admodùm gratioſis, modò huc, modò illuc domicilia transfert: captans in tranſitu exhibita ſibi cum muneribus, ac tributis obuiantium Magnatum obſequia; atque tandiù in vnoquoque habitaculo commorans; quandiù reperta in eo cibariorum annona permittit.

Pulchrum ſanè ſpectaculum illo cerneres tranſmigrante: grandis pediſequorum, ac pediſequarum numerus, vniuerſam domeſticam ſupellectilem, adhuc ipſa ſubſellia baiulans, equitantem Domini, ac Dominæ ſuæ familiam pedeſter ſubſequitur: cuncti onuſti, ac ſeminudi, hoc eſt, pectore tenus veſtiti ſemicinctio, nec proinde affecti pudore, nunc cœnoſas tranare lacunas; nunc

cliuoſorum ardua montium aſcendere; nunc brachijs inuicem illigati, ne rapido aquarum decurſu abducantur, flumina vado traijcere, ſimul conſpiciuntur. neque hoc ob equorum inopiam; ſed ad maiorem gloriæ, ac potentiæ oſtentationem permittitur.

Quotidiana Principis occupatio aut in venatione ſylueſtri, aut in populi cauſis, diſceptationibuſque dijudicandis verſatur. nec iudicij mos ſilentio diſſimulandus. Siquidem aguntur hæ cauſæ, tanquàm in Auditorij foro, ſub dio campo in aperto, qui ante atrium cuiuſcunque palatij latiſſimè patet. Hìc dum Princeps graui, ac lento gradu, equeſtri conſequente familia, circumequitat; ſinguli litigantes, cum cauſidicis, patroniſque ſuis, & teſtibus circumcirca ab inuicem diſſiti, ne equitationi eius intercluſa, ſed interciſa ſolùm ſit proſequutio, ipſum præſtolantur. Illi ergo, prope ſeipſos tranſeunti, occurrunt primi litigator, & aduerſarius; ſuppliceſque coram equum ſiſtente Principe vnicum procumbunt in genu: mox alter poſt alterum, ſic genuflexus, baculoque innixus, exponit litigium; rationes pro ſe quiſque exaggerat, aſſtantes adhibet teſtes, & aduocatos. Denique in peroratione, vt iudicis mens non miſeratione tantùm, ſed adulatione quoque permulceatur, & erumpunt fletus, & illi diuino nomine oblato litant his verbis: *Cemi Patoni, Cemi Gorunti*. hoc eſt: Dominus meus, & Deus meus. Vltima porrò perorationis verba, vt in corde Principis 127 efficaciùs imprimantur, percuſſa baculo extenſo tellure, tono proferunt altiori. Dirempta demùm horum controuerſia, procedit equitatus ad reliquos. Hoc itidem modo Demarchi in ſua quilibet ditione iudicia exercere ſolent. Nec modò cum adit ſuperiorem inferior; verùm inter æquales etiam mos inualuit, vt pro re, quæ ſua vel parum quid referat, alter ab altero non aliter, niſi in genu procumbens, & quærat au- 128 ditionem, & optatam rem fuſis precibus impetret. Si verò lis, aut contentio inter ipſos oriatur Primates; dummodò alter eorum non prouocet ad Principem, nequit is illi dirimendæ ſe immiſcere: ſed ipſimet, armatis ſubditorum ſuorum agminibus aduerſus inuicem irrumpentes, litem non iudicio quidem, ſed ferro decìdunt. vaſtant ſibi agros, ac ſegetes; armenta diripiunt; excìdunt vineas; domos incendunt; plena vino dolia perfringunt: vt ſemper non causà cadat, niſi imbecillior; nec 129 alter vincat, niſi causà deſerta.

Sine venatione vt à Principe, ſic à Nobilioribus nulla fermè dies tranſigitur: vndè in menſa carniuoræ familiæ ſyluaticum nunquàm cremium deficit. Sunt propterea tum ipſe, tum reliqui in arcu, tortaque ſica tractandis (quibus ſolis in venatu armis vtuntur) peritiſſimi. tam rectè dirigunt ad ſignum tela; vt quandoque Dadianus in phaſianorum aucupio refugum quendam, ac volitantem accipitrem, dum ad manus

nus redire iterùm nollet, in ipso volatu coram nobis teli iactu transfixerit. Et iaculationibus quidem à primis vsque annis assuescunt. à mamma disiuncto vix infanti, vt obludat, aptatur arculus in mantiolis. ipsos sæpè puellos demiratus sum, aues, & vulpeculas arcu infectantes. Principem, venatum euntem, sequi tenentur Proceres, ac reliquus populus alternatim: quemadmodùm & alij subditi Dominos suos.

Dum autem venantur feras, vt illæ fragore magis horrisono è syluis, ac saltuosis latebris exturbentur, & in apertum egrediantur, ænea solent tympana pulsare: ac tum foràs exilientes exterritas, & huc illuc diffugientes, equis velocissimis persequuntur, spicula post illas bifurca, ad crura, coxasque præcidendas, assiduè iaculantes. & quamuis plurimos secum canes, & in venatu quidem præcellentes, ducant; cupidine tamen cursitandi ipsi post feras, vtque de illarum occisione gloria sibi solis ascribatur, eos vt plurimùm cohibent: nec planè dimittunt, nisi victoria sine illorum auxilio desperetur. Hinc multi, equis in cursu cæspitantibus, præcipites ruere, ac miserabiliter interire solent: adeò vt regnantis adhuc Principis & pater, & auus, nonnullique alij Maiores eo mortis genere vitam finierint. Denique peracta venatione, coctisque ferinis carnibus, singula feræ membra vnicuique, prout illi ex debito præscriptæ legis pars contingit, in mensa dispertiuntur: ac sicuti dexter semper humerus domino, dominæ verò sinister apponi debet; ita alijs alia: præcipua tamen eorum virorum, & canum habita ratione, qui feram illam venati sunt. Alios peculiares Colchorum mores, præsertim superstitiosos, & cum admiratione risum etiam generantes; ne videamur in oblectanda Lectorum curiositate nimiùm immorari, omittimus.

De laboribus Clericorum Regularium, in Iberia, & Colchide pro Fidei prædicatione susceptis.

QVinam hi primùm in termino, deinde in itinere fuerint; saltem ex parte, atque summatim referam: maximè cum, eos omnes ex ordine à pererudito nostræ Congregationis viro literarum monumentis, ac posteritati feliciori calamo mandandos esse, acceperim. quarè satis sit modò, hæc de illis pauca, quæ sint reliquorum omnium argumento, Lectoribus hìc exponere prælibanda.

Et quidem incommoda, à Clericis Regularibus in Iberorum, Colchorumque Prouincijs pro Catholicæ fidei propagatione strenuissimè tolerata, exantlatique felici progressu, vberrimique fructus perceptione labores, tot, ac tanta hucusque fuerunt; vt planè indicibilia sint, eorumque toleratio non virtutis humanæ, sed diuinæ prorsus, suis à Christo militibus impertitæ, opus cen-

lenda sit. Etenim vna duntaxat timorem incutit, & horrorem habitationis considerationem in Regionibus illis; adeò infœcundis, quæ adhuc frumentum, & panem, vnicum humanæ vitæ solamen, & fulcimentum, habitatoribus denegent: adeò desertis, & inuijs; vt domi inter lustra ferarum inhabitatio, extra domum cum feris ipsis profectio sit: adeò pluuiosis, opacisque saltibus obsitis; vt iugiter in tenebris viator ambulet, & per lacunas: quid plura? morbiferis supra modum; aliarum nationum commercio, & negotiatione priuatis; vbi gens effrenata, & barbara, 134
ac solùm rapinis, intemperantijs, superstitionibusque addicta: &, vt paucis concludam, omnis ferè boni expertibus, omni malo refertis; vt sanè aut incredibile, aut miraculum videatur; ex alijs Missionariorum familijs, quæ olim ibi fuerunt, solos Clericos Regulares tot ab hinc annis constantissimos hactenus ibidem perstitisse: quod ita quidem strenuè factum est; vt eis corporis, ac vitæ priùs, quàm animi vnquàm vires defecerint.

Breuì namque sub grauissimo eo laborum pondere plurimi viriliter obiere Patres; non minùs, quàm prosapia generis, Apostolico spiritu, vitæque integritate præclari: inter quos singulare virtutis in prædicationis munere obeundo, atque constantiæ in Infidelium, & Hæreticorum insultationibus, alijsque malis perferendis specimen edidere non pauci: ac imprimis Domnus Iacobus de Stephano, Neapolitano olim 133
in Regno Dominus Aquediæ; cuius Angelicam vitam, magnasque in Catholica Fide dilatanda progressiones; res denique, tam in Italia, quàm in Iberiæ Cardelienſi, & Kachetensi Prouincia egregè, sanctissimèque gestas, iamdiù prælo subiecit Pater D. Franciscus Maggius; qui in eadem quoque Missione non parua eximiæ indolis suæ dedit experimenta: D. Antonius Giardina Panormitanus, primus ille in Gurielensi Prouincia orthodoxæ fidei nunciator, & præco: D. Vincentius Carafa Neapolitanus, vir integerrimus, & proximorum salutis procurandæ desiderio flagrantissimus; qui dum Goride pestilentiali morbo infectis ex animo inseruiret, Sacramentaque ministraret, eodem ipse malo correptus, cessit è vita: D. Ioseph Iudices Mediolanensis; cuius quidem tanta fuit vitæ innocentia, exemplum virtutis, zelus animarum; adeòque profecit in hæreticorum conuersione, vt eius fama immortalis apud Colchos reddita fit; quemadmodùm & mors apud 135
Constantinopolitanos illustrissima fuit. dum enim, suscepta Colchiaci Regis legatione ad Romanum Pontificem, in Italiam concessurus, Constantinopoli obiter moraretur; ac tres ibi Colchos, Turcarum seruos, Christianis à se præceptis imbutos, atque in Catholica Fide confirmatos, baptizasset; iterato deinde ex Italia in Colchidem transitu per eandem Vrbem, à calumnioso Iudæo ad Turcicum Magistratum nomen eius delatum

admiſſique ad Regem Dadianum, his illum verbis compellauere:

Quos in præſentia cernis, Glorioſiſſime Rex, amictu quidem contemptibiles, exhauſtos inopia, longiſſimis viarum itineribus fermè ad conſumptionem redactos; Religioſi Europęi ſumus, Chriſti Euangelici ſectatores; vi equidem nulla, nec ægrè; ſed ſponte noſtra pro ipſo miſerijs hiſce mundanis emancipati. Italiæ alma Vrbs illa, ac toti celeberrima mundo, Roma, regio noſtra eſt: vndè, tanquàm ex Imperij Eccleſiaſtici ſolio, Petri Principis Apoſtolorum ſucceſſor, ac in Terris Chriſti Vicarius, Pontifex Romanus, certam Chriſtianæ fidei normam præſcribit nationibus vniuerſis; Regumque, ac Principum religioſis cultus obſequijs, diffuſam toto Orbe Eccleſiam moderatur. Is igitur eſt, qui modò nos, Apoſtolicos Sacerdotes, magni nominis tui, ſuauiſſimæque famà humanitatis illectos, per innumera maris, ac terræ diſcrimina ad te, vltrò volentes, allegauit; tibique deinceps addixit famulaturos: planè non vt hìc felicitatem nobis vllam; aut auri, argentique, vel ſi quam promittit aliam huius fœcunditas Regionis, & comitas habitantium, diuitiarum opulentiam comparemus; iamdiu hæc fuimus omnia noſtris in Regionibus aſpernati: ſed vt tibi ſolùm, Magnanime Princeps, cunctoque populo tuo, veritatem Catholicæ fidei nunciantes, felicitatem afferamus æternam.

His Dadianus auditis, ſimilibuſque in Vrbani Summi Pontificis epiſtola lectis; admirans Virorum modeſtiam, ſtrenuitatem, religionem; benigno eos excipit vultu, iubetque 139 diuturno viarum labore fractos reficì, & à laſſitudine recreari. Deinde virtutem illorum primo vult tentare periculo. Erat ipſi filia, Adoleſcentula quædam; cuius linguæ, manus, ac pedis motum ita paralyſis ab infantia eripuerat; vt eius proinde valetudo deſperaretur. hanc Patrum curationi commiſſam, ſtudio etiam diligentiſſimo commendauit. Suſceptam illi prouinciam, magnam licet, & arduam, haud quaquàm fore putarunt fidentibus Deo difficilem; quare medicaminibus quidem, 140 magis tamen aſſidua apud Deum inſtantia precum, tria illa Paralyticæ membra poſt vigeſimum diem motui priſtino, ac ſanitati reſtituerunt. Vidiſſes profectò, vulgata præclari fama facinoris, præſultare lætitia, demirari, ſtupeſcere Regem, Reginam, Populum vniuerſum; qui aliorum ſubinde infirmorum ſanationes experti à curationibus Latinorum; eos deinceps, ceu ſibi de aplos Empyreo, maxima, qua par erat, obſer- 141 uatione cœperunt, & obſequio proſequi.

Hinc Serui Dei, promulgandi fidem Catholicam facultate donati, Regiſque adiuncti familiæ, integrum ferè annum ſequi poſt illum, Regionem more ſuo circuncurſantem, iuſſi ſunt. Intereà per omnia nemoroſi loci tuguria diſcurrentes, veram annunciabant fidem; Sacrumque quotidiè facientes, haud ceſſarunt, pro reliquo ſuo munere, vel curare infirmos; vel afflictos, depreſſoſque

ad patientiam exhortari; vel ſuperſtitioni, aut ebrietati deditos redarguere, vel homines illos efferatos, rerumque ad æternam ſalutem ſpectantium inſcios, incurioſoſque ad Chriſtianam caritatem ſuauiter allicere; ad religionem, & Dei cultum inſtruere; eorum denique puerulos baptizare. Et quamuis Sacramentum hoc Paruulis nimiùm cautè, ac non, niſi prætextu medicinæ, quæ illos liberaret à vermibus, miniſtrarent: (nihil enim ægriùs in eius prædicationis primordijs audiebant adulti, quàm Baptiſmum ſuum irritum eſſe): haud tamen obſiſtere valuit inimicus humanæ ſalutis; quo minùs Colchi vniuerſi de artificioſo Apoſtolicorum Virorum miniſterio, ſuffragante illi Deo euentibus proſperis, maximam conciperent exiſtimationem, ac deſiderium. eiuſmodi enim ſacra ablutione pueruli à verminoſo etiam morbo ita feliciter multoties curabantur; vt frequenter ad illam pro ſanis adhuc filijs expetendam parentes confluerent. vndè factum eſt, vt non aliud illa nomen in Colchide ſortiretur; quàm *Boſcebs zamàli*, hoc eſt, *Remedium puerorum*.

Dum hæc itaque à duobus, eo toto tempore gyrouagis, ac peregrinis Patribus agebantur; alijs ad eorum meſſem accurrentibus ex Italia ſocijs, Pater Lambertus, vir ſpectatæ virtutis, eòque gratioſior cùm Regi, tum Reginæ, quò ingenioſior, ac induſtrior alijs; ſtabilem ab his, ac fixam alicubi ſedem laſſis donari Sacerdotibus poſtulauit. Interuacabat autem in ea nemoris parte, quæ 142 Zipuriàs dicebatur, peruetus Templum, integrum tamen, auguſtumque: nec procul, vigeſimo ferè ab eo paſſu erectum, alterum erat; cui Parochus quidam ſenex, nomine Guarricellus, ſuperſtitioſiſſimè miniſtrabat. illud ergo, noſtro colendum ritu, accolendumque circumcirca tugurijs, tradidit Noſtratibus Dadianus: huius quoque Parochum cum decem, è vicinioribus, Colchorum familijs eorundem ſubdidit ditioni. Collocato igitur hìc D. Ioſeph, qui iam in Patris Auitabo is, 143 ad Indias allegati, Præfecturam ſucceſſerat, domicilio; nouos Sodales ſuos ad noua animarum lucra, & magno quidem cum fœnore, excitauit: eorum quippe dum aliquot in aperto nuper Sacello & Catechiſmo, & Sacramentorum adminiſtrationi operam dabant; totum quàcunque nemus alij peragrantes, innumeram præterea lymphis ſacris luſtrabant puerorum, & infantium multitudinem: ſed & populum, procereſque, maximè verò Eccleſiaſticos, ſuorum 144 commonefacientes errorum; eos potiſſimùm ſuper Colchiaci Baptiſmatis falſitate vrgebant.

Verſabatur tum hoſpes in Colchide Trapezuntius Metropolita, Cyrillus Græcus; quem Noſtrates, ſubmotum à ſchiſmate, Romam deindè, vt ſuprà memoratum eſt, ad pedes Romani Pontificis deduxere. vicem quoque Patriarchæ gerebat ibidem hæreticus quidam Epiſcopus, dictus Allauerdèli; qui licet anteà

Patrum doctrinis aduerſatus acriter eſſet: poſteà tamen, cum ijſdem de rebus fidei pluries colloquutus, Catholicæ ſe dediderat veritati. Præſulis vtriuſque ſententia, & authoritas magnum apud Colchos pondus addebat rationibus Latinorum: qui tandem, diuerſis oppoſitionibus, difficultatibuſque diuino ſuperatis auxilio, ad ritè denuò Baptiſma ſuſcipiendum pleramque Optimatum, Populique gentem (nonnullis exceptis è Primoribus, qui à Græcis ſalutari lauacro rectè intincti fuerant) induxerunt. Præ alijs renati ſunt luſtralibus aquis Regina; & imperio, ſecundus à Rege, Pata Zulachìas; & Patriarcha ipſe Sciamochmedèlus, cum duobus Epiſcopis, qui ſubinde ſacris iterùm initiati fuere. Eccleſiarum itidem Curiones de eodem Sacramento ritè deinceps ſuſcipiendo, conferendoque edocti ſunt; præſertim Guarricellus, Parochus noſter; quem, à Latinis etiam baptizatum, orthodoxus Epiſcopus Metropolita, Cyrillus ad reliquos ordines iteratò promouit.

մի ինչ ըստ բնութեան։ Նոյա և սբն
Ամբրոսիոս եպիսկոպոսն Միդիոլանոյ
ի գիրսն գրեալ ընդ դէմ հապողինա-
րեան ասէ։ Յարեալ ոմանք՝ ասէն, Թէ
մարմինն և Աստուածութիւն մի ոմն ինչ
բնութիւն։ որպիսի դժոխք փաղաղեցին զա
յնչափ հայհոյութիւն։] Զնոյն ասէ
և սբն Գրիգոր Նիւսացին ի գիրսն,
զոր գրեաց ընդ դէմ նոյն հապողինա-
րեան, այսպէս։ Հաւասի Թէ մարմնոյ և
բանին երկաքանչիւր բնութիւնն երևի
ի յատկութիւնս հակառակս միմեանց,
դի արդ երկուքինն են մի բնութիւն։]
Եւ դարձեալ՝ սբն Յովհան ասկէբա-
բանն ի Թուղթն առ Հիկակիոս աբե
զայն ասէ։ Զերկուսին միաւորեալ նոս՝
մի որդի, և մի անձն ասեմ. որ առ
անց շփոթման և առանց բաժանման
ճանաչեցի ոչ ի մի բնութիւն. այլ ի
յերկու կատարեալ բնութիւնս։] Հրա-
ման այս զինչ ասես։

Ներեա՛ հիմա ոչ ի ժամանակ հա-
մանելոյ զիմեհուս զայս. այլ միայն որա
մանելոյ։ ապա յետ պատշաճաւորու
թեան, և ի դիպուկ ժամանակի
դատեցից զգուշութիւն. և ասացից,
Թէ զինչ ես կարծեմ։ Իսկ արդ՝ եթէ
քեզ հաճոյ լինի. վճռաբեմ խոստանամ։
Տէր. Պարսիսն խոստանան։ Ներեա՛.
Զամ այժմ. վճռեն որոյ պատշաճաւո

ապդելեալ եղև ասել ՚ի քրիստոս զմի
բնութիւն։

ՏՈՒԲՆ՝. ՈՐՔ ունին զմի բնութիւն,
ունին և զմի բան դոյացութիւն, և
են հաւասարականք։ իսկ ուր-ուրէ և
մասնակութիւնն չէ ոչ էն հաւասար
կիցք, և ոչ ունին զհաւասար բան
դոյացութիւն։ իսկ՝ որոց ոչ է մի բան
դոյացութիւն. յայտ է, զբնութիւս ևս
քանզ միշտ տարբերել ՚ի միմեանց։
քանզի որպէս տարաստօղն հակադրի
բացաստղին. նոյնպէս և ասել զքս եր
կու բնութիւն՝ հակադրի ասելոյն զնա
մի բնութիւն։ զի ՚ի վերայ միոյ երկի ոչ
երբէք կարեն ձշմարտել միանգամայն
երկու հակառականք։ ապա ուրեմն
ոչ երբէք երկու կարեն գոլ մի։ ՀԱՎԱ
ԵԹԷ հաձոյ լինի քեզ. քննեսցուք և
զբանս առաքինակայս ըստ Լօգիկայի
խրատուցս։ ԿԱՅ՝ն. Կարի յոյժ հա
ձոյ լինի։

ՏՈՒԲ՝. ՈՐինչ գոյ. ԵԹԷ մի է և
բազումք. ոչ ըստ այնմ է մի, ըստ
որում և բազումք։ այլ է՛ մի ըստ մի
ում բանի. և է՛ բազումք ըստ այլ
ում բանի։ զոր օրինակին տեսանեմք
՚ի յամենասուրբ երրորդութեն։ զի այս
է՛ մի, և բազումք. մի ըստ բնութիւն.
և բազումք ըստ անձանց։ վասն որոյ
ըստ այլում է՛ մի. և ըստ այլում բա
զումք։ ապա անհնարին է՛ գոլ մի
ըստ նոյն բանին, ըստ որում է՛ բա
զումք։ և անհնարին է՛ գոլ բազումք
ըստնոյն բանին, ըստ որում է՛ մի։
նմպ և ՚ի քրիստոս. երբ մեք խոստո
վանիմք սրբոց հարցն վկայութիւք.
ԵԹԷ քրիստոս է՛ երկեաք ըստ բնու
թեցդ. ուրեմն ապա ոչ կարեմք ասել.
ԹԷ ըստ նոյն բնութեցդ է՛ մի։ ՊՈՍ
տե՛ որ ինչ գոյ. ԵԹԷ մի է՛, և բա

մ կ թ զումք։

propter quam prohibitum ſit, vnam
in Chriſto naturam dicere.

93 *Theor.* Quorum vna natura eſt, eorum & communis eſt ratio: quorũ verò ratio eſt communis, eorum & eiuſdem ſubſtantiæ eſt exiſtentia; nunquã verò Chriſti Diuinitas eiuſdem eſt ſubſtantiæ cum eius humana natura; itaque non poteſt horum vna eſſe ratio. Quorum verò nunquam vna ratio eſt, eorum naturas ſemper à ſe inuicem differre, cuiuis eſt perſpicuum. Quippe ſicuti Neganti opponitur Aiens; ſic dicere, Chriſtũ naturas eſſe duas, opponitur illi, Chriſtum eſſe naturam vnam; nunquam verò Negans, & Aiens de eodem pariter vera ſunt: ergo nunquam duæ ſunt vna. Quòd ſi placet, etiã modo logicæ diſciplinæ magis accomodato theorema propoſitum examinemus. *Gener.* Placet omnino.

Ratio, propter quam nõ poteſt in Chriſto vna dici natura.

Theor. Quicquid exiſtit, ſi vnum eſt, & plura, nõ ſecundùm id vnum eſt, ſecundùm quod plura: ſed ſi eſt vnum, & plura, ſecundùm aliud eſt vnum, & ſecundùm aliud plura: ſicuti, exempli gratia, videmus in ſacroſancta Trinitate, quæ vnum eſt, & plura; vnum naturâ, plura perſonis; igitur alterius reſpectu eſt vnũ, & alterius plura: nequit ergo fieri, vt eatenus plura ſit, quatenus eſt vnum; vel eatenus vnum, quatenus plura. Sic & de Chriſto, pro confeſſo eſt, iuxta ſanctorum Patrum auctoritates, Chriſtũ eſſe duo reſpectu naturarum; nequit ergo fieri, vt vnum ſit quoad naturas. Quicquid igitur exiſtit, ſi vnum eſt, & plura,

reſpe-

respectu alterius vnum est, & alterius respectu, plura: quod demonstrandum erat, vt Geometrarum more loquamur. per illas enim necessitates, quas vocant theorema, demonstratum est.

ղու-մբ. ըստ երից ինչ է՛ մի, և ըստ
ՂՀ 96 այլ երից է՛ բազում: Եւ այս է՛ զ-
զոր մեք պարտ էաք ցուցանել: և
այժմ ցու-ցաք զնա տրամաբանելով
ըստ սովորու-թեն փիլիսոփայից:

Gener. Ego naturam vnam dico respectu indiremptæ vnionis; ne Christus in duos Christos diuidatur. Theor. Vtram ergo naturam dicis? diuinam, an humanam? an præterhas aliam nec diuinam scilicet, nec humanam? Gener. Vnam naturam compositam dico ex diuinitate, & humanitate. Theor. Si vnam naturam compositam dicis, mutationem, & confusionem naturarum introducis, ex quibus vna fuerit composita natura. Iam, si placet, in vna quadam composita natura propositam quæstionē exploremus. Hoc lignū vnius est omnino cōpositæ naturæ: nam ex terra, & aqua, & igne, & aëre constat, & est iam vna natura de his composita. verùm mutatio præcessit earum naturarum, ex quibus factum est: & iam nec est, nec dicitur aliquid earū naturarum, de quibus est compositum; quippe nec ignis est, nec esse dicitur, nec aliud quid eorum, quæ ad ipsius compositionem concurrerunt. At ea non est in Seruatore ratio, sed naturæ manserunt incommutabiles, vnione indissolubili ad perfectionem vnius hypostasis coëuntes: ac nunc quælibet in vnum coëuntium naturarum & est, & dicitur mutationis expers; propterea idem perfectus Deus, & homo perfectus est, atque dicitur:

Neque dici potest in Christo vna natura composita.

ՂԷ 97

ՂԸ 98

Ասէ. Ես զմի բնու-թիւն ասեմ
ըստ անբաժ միացմանն. զի մի բա-
ժանեսցի մի քրիստոս ի յերկու բնս:
Տէր. Ո՞ւրեմն զորմէնսի բնու-թիւն
խոստովանիս. զայծ-ային միայն. Թէ
զմարդ-կայինս միայն. կամ Թէ բաց ի
սոցանէ զայլ միս ոչ այծ-ային, և ոչ
մարդ-կային: Ասէ. Օմի բնու-թիւն
ասեմ բաղկացեալ յոսոսո-ած-ու-թէ
նէ և մարդ-կու-թենէ: Տէր. Ես-թէ
զմի բաղադրեալ բնու-թիւն ասես.
ապա մո-ծանիս զշփո-թու-մն և զփո-
փոխու-մն բնու-թեցն. յորոց մի եղե-
ալ նոր խառնեալ բնու-թի: Ես ար-
դ-եօք հաճոյ լինի. քննեսցու-ք ի մի
բաղադրեալ ինչ բնու-թէ զառաջի
դայ խնդրոս: զոր օրինակ. այս փայտ
է՛ մի ինչ բաղադրեալ բնու-թի. զի
բաղկանայ ի հողոյ. ի ջրոյ. ի հրոյ.
և ի յօդոյ. և է՛ մի բնու-թի ի սո-
ցանէ բաղկացեալ. եւ՛ փոփոխու-մն
եղև բնու-թեցն այնոցիկ, յորոց միաւ-
որեցաւ. և փայտն ոչ է՛, և ոչ ասի
մի ոք ի բնու-թեցն յորոց ինքն եղև.
զի ոչ է՛, և ոչ ասի գոլ հու-ր. կամ այլ
ոք յատացեալ երացն: Բայց՝ ոչ նմա-
նապէս հանդիպի ի անօրէնու-թեան
փրկչին մերոյ. այլ բնու-թիքն, ան
բաժանաբար միացեալք առ ի կա-
տարու-մն միոյ անձինն, միացին ամեն
և ին անփոփոխ. և ի-բաբանչիւր ի
նոցանէ է՛ և ասի փոփոխման անքն
դունակ: վա՛ որոյ նոյն ինքն է՛, և ա-
սի այծ կատարեալ. և մարդ կատա-
րեալ. զի ոչ խառնակու-մն ինչ առա-

quip-

ջացաւ, ոչ փոխոխուեաւ, և ոչ շփո-
թուեաւ այնոցիկ. որք բաղկացուցին
զնմանուէնն: Ոչ ևս ապա ոչ ևս
բաղադրեալ բնութիւն կարէ գոլ քո: զի
այս ունի մնայն զաւելի ի փայտն. և
կամ ի յայլս այսպիսեացս:

Լիմն. Ընդէր սէ հարքն բերեն
ի մէջ զօրինակն մարդոյ վասն ցուցա-
նելոյ զանօգնութիւնն փրկչին. եթէ
օրինակն այն ոչ ունէր զնմանութիւնն
ընդ առնօրէնութեան այնմիկ: Մոր-
ձաքաբերեն սէ հարքն զօրինակն
մարդոյ՝ առ ի բացայայել զնմանութի-
լին խորհրդոյն. զի ցուցցեն. թէ մի ե
քո. և ոչ երիս, որպէս ասէր պնդն
Նեստոր: Ես ոչ յայտնապէս նոյն օրէ
նական այլուստ երեւի: Լիմն. Ազդ
ըստ որում օրինակս այս օգուտ լինի
դիտաւորութեանդ քումմ. ըստ այնմ
ընդունիս զնա: նոյն ըստ որում հա
կառակ լինի դիտաւորութեդ. ըստ
այնմ մերժես:

Մոր. Ես այս իրաւի ասդէօք.
զի և ամենայնիւ գիրքն նոյնպէս սո
վորէ վարել ի յօրինակս: ասէ զի երբ
ասէ փրկիչն մեր առ աշակերտս իւր.
Եկայք զկնի իմ. և արարից զձեզ որ
արդս մարդկանս: եթէ օրինակս զայս
ըստ ամենայնի պահեսցուք. պարտ
էր ասել. թէ առաքեալքն քարշել
զինն զմարդկունսն ի կենցաղ առ ի մահ.
զի արարչին այսպէս առնէ. քարշէ
զնկուղանն ի մահ: արդ՝ քահ լինի
զմտաւ ածել զայս զառաքեալսդն
քո: Ես դարձեալ՝ ասի ի գիրսն
Ծնընդոց յղիս քո այսպէս. Բաղմեալ
նստեաց իբրև զառիւծ, և որպէս կո
րիւնն առիւծու. ո՞վ զարթուսցէ զնա:
Ոչ ևս եթէ ուղղափառութիւն ո՛չ
նմանացուսցէ զայսպիսիս. և եթէ մնիմք

quippe non antegressa est eorum ali
qua mistio, vel mutatio, vel confu-
sio, quæ ad constituendum Emma-
nuelem cõtuerunt. Nequit igitur
vlla natura composita esse Christus:
nam hoc in ligno, alijsque talibus
locum habet.

Gener. Cur sancti Patres exem-
plum illud hominis vbique sursum
(vt aiunt) ac deorsum ad dispen-
sationem Seruatoris accomodant, si
quidem eius similitudinem non re-
tinet, cuius exemplum est. *Theor.* Explicatur exemplũ, allatum a sanctis Pa tribus.
Proferunt illi sancti viri hoc de no-
bis ipsis exemplum, ad declarãdum
istud circa Emmanuelem myste-
rium; vt demonstrent, vnum esse
Christum, non duos, vti Nestorius
aiebat, ac superiùs est iudicatum: li-
cet exemplum ipsum in altero non
procedat. *Gener.* Quantũ ergo pro-
desse videtur ad institutum tuum,
tantum de hoc exemplo admittis:
quantum verò repugnat, reijcis.

Theor. Meritò id quidem: hoc
enim Scriptura sacra in exemplis fa
cere consueuit. Nimirũ alicubi Ser-
uator noster ad discipulos suos in-
quit: *Sequimini me; ac faciam vos* Matth. 4.
piscatores hominum. Ergo si exem-
plum per omnia seruabimus, dicen-
dum erit, Apostolos è vita traxisse
homines ad mortem; hoc enim pi-
scator facit, trahit pisces ad eorũ in-
teritum: sed absit, vt ita de rebus
Christianis sentiamus. Rursus alio
loco Scriptura de Christo dicit:
Procumbens sopitus est instar Leonis, Gen. 49.
& Catuli leonini: quis excitabit eũ?
Itaque nisi piè huiusmodi accipia-

mus, & ad ſacræ Scripturæ ſcopum ea dirigamus, atque interpretando dũtaxat eò referamus, quò pertinẽ; non tantum in abſurditates, ſed etiã contumelias infinitas prolabemur.

ՃԲ
102

Gener. Sapientiſſimè loqueris: verùm vti tu dicis, exemplum hoc hominis eò tantùm à ſanctis Patribus vſurpatum, vt oſtendatur, quemadmodùm ex anima & corpore vnus homo conſtat, ita & Chriſtum vnum ex diuinitate, humanitateque conſtare: ſic & ipſe dicere poſſum, eos ad hoc ſumere illud hominis exemplum, vt oſtendant, perinde atque anima & corpus vnam hominis naturam abſoluunt, vti ſanctus Cyrillus loquitur; ita etiam ex diuinitate, atque humanitate naturam vnam eſſe abſoluram; nec in homine mutationẽ naturarum deinceps compoſitarum comitatam, nec in Chriſto.

ՃԳ
103

Theor. Niſi prohibitum eſſet à ſanctis Patribus, ne vnam in Chriſto naturam, poſt factam vnionem, dicamus: fortaſſis auſus fuiſſet aliquis itidem, vt tu dicis, hoc exemplum interpretari; licet ipſa rerum natura ſic illud accipi, non permittat, vti demonſtrabitur. nunc cum tales, ac tot ſancti viri hoc prohibuerint, tanquam ſacrilegum: (*quæ*, inquit diuus ille Ambroſius, *tantum ſacrilegium inferna vomuerunt?*) ceu pium recipere, hominis nulla mente præditi fuerit.

ՃԴ
104

Gener. Dixiſti ſupra, ne ipſam quidem rerum naturam pati, vt ſic accipiatur: quidnam igitur eſt impedimento?

ՃԲ
102

ՃԳ
103

ՃԴ
104

նաեւ որպ և զանհատից. որպ պարս
դաեւ մարդ՝ ընհանուր ինչ է. զի
սաորոգն զպետրոսէ, և զպօղոսէ,
և զիւրաքանչիւր մարդոյ. և սակս
այսորիկ ասէ մի բնութիւն. քանզի
ամ մարդկիքն բաղկանան ի բանա
կան հոգւոյ և ի մարմնոյ. և զիարդ
դոյ սահմանն ընդունին. որ է այս.
կենդանի բանական մահկանացու.
Իսկ սահմանն ցուցանէ զբնութիւն
ենթակոյ իրին. վասն որոյ պատշաճ
անհատքն ոչ ունին զյատուկ սահ
ման. Բայց արդ՝ քրիստոս ոչ է հա
սարակ ինչ, և ոչ ընհանուր. այլ
է մի անձն, և մի ենթապրեալ, և
երբեմն զանհատս. զի ոչ դեռ այլ երբ
սաոսք, յաճախութենէ և մարդկու
թենէ բաղկացեալք. զորոյն սաորո
գեացի մի բնութիւն. սակս այսորիկ
քրիստոս ոչ կարէ դոլ մի բնութիւն.
զի ոչ կարէ գտանիլ մի անհատ և
մասնաւոր բնութիւն. այլ ամ բնու
թիւնք է ընհանուր. և զյոլովիցն ա
սէ. Օրք օրինակ. ամ այնն բնու
թիւն սաորոգն զհօրէ, զորդւոյ, և
զհոգւոյն սրբոյ. նոյնպէս և բնութիւն
հրեշտակաց սաորոգն զմիքայէլէ, զգա
բրիէլէ, և զայլոցն. Է՞ր մարդոյ
բնութիւն զտկրատասց, զպղատոնէ,
և զայլոցն. նմանապէս և եղ, ձի, և
այլքն այսպիսեացս, սաորոգքն զյո
լով անհատիցն հերձանց. Ձայսմ քան
զի բնութիւն ընհանուր ինչ է. և քա
ոչ է ենթ ընհանուրդ այսպէս է՝ ուրեմն,
եթէ ոչ է պարտ ուղղափառ մարդ
կան ասել զքն մի բնութիւն. Եւս
տե և գոլով այս արդելեալ ի նոյն
բնութենէն հրաց, և և այս ամ հարցն
սրբոց. ոչ թէ ունայնութիւն լինիցի.
այլ և յանդգնութիւն մեծ և լրբու

մ հ գ թիւն,

mento? quoue pacto natura rerum in his aduerſatur? *Theor.* Natura de vniuerſalibus,& cõmunibus dicitur, non de particularibus,& indiuiduis. Homo quiddam eſt vniuerſale; nã de Petro, & Paulo, & omnibus ſingillatim hominibus prædicatur: quapropter & vna natura dicitur. Omnes enim homines ex anima ratione prædita, & corpore conſtant, hominiſque definitionem recipiunt, nimirum hanc: Animal ratione præditum, mortale. definitio verò naturam rei ſubiectæ demonſtrat; quam ob cauſam indiuidua propriam definitionem non habent. Chriſtus autẽ nec vniuerſale, nec commune quiddam eſt: vna nimirùm eſt hypoſtaſis, vna perſona, quaſique indiuiduũ; nõ enim alij Chriſti ſunt, ex diuinitate, atque humanitate conſtantes, de ijs vt prædicetur: ea propter vna nequit eſſe natura; nã particularis, & indiuidua natura reperiri nequit; ſed omnis natura vniuerſalis eſt, deque pluribus dicitur. Non longè abeamus: natura diuina prædicatur de Patre, de Filio, & Spiritu ſancto: itidemque Angelorum natura de Michaële, Gabriele, cæteris: hominum denique, de Socrate, Platone, de reliquis particulatim hominibus: ſimiliter & bos, & equus, aliaque talia, de omnibus ſub ſe indiuiduis. Quoniam ergo natura quiddam eſt vniuerſale; Chriſtus autem quiddã vniuerſale non eſt: manifeſtò patet, homines rectè ſentientes nunquam dicturos eũ vnam naturam. Itaq; cũ & ab ipſa natura rerum, & à ſanctis

Ipſa rerũ natura nõ patitur, Chriſtum vnam dici naturam.

viris interdictum ſit: non modò ſu-
peruacaneum, ſed nimis audax que-
que mea fuerit opinione, vnam in
Chriſto naturam dicere.

Gener. Meum verò animũ ſem-
per Cyrilli verberat auctoritas, cum
ait: *Vna natura Verbi incarnati.*
Quapropter agitata mens mea, ceu
dixi, ſurſumque pedibus ſuis, vt ita
loquar, requietem quærens, tandem
in eam ſententiam venit, vt diceret:
niſi voluiſſet indicare, naturam vnã
Verbi, & carnis eſſe poſt vnionem,
nunquam hoc protuliſſet: quippe
nullus Hæreticorum naturas duas
Verbi dixit, vt aduerſus illius opi
nionem diuinus hic Vir diceret na-
turam Verbi vnam.

Theor. Fortaſſis illius magni Atha-
naſij librum aduerſus Arianos quar-
tum non legiſti; quippe ſi legiſſes,
nullam mens tua ſuccuſſionem ex-
periretur. Nam ex eo cognoſcere li-
cet, Arium tradidiſſe duas naturas
Verbi, vnam creatam, & alteram in-
creatam. Dicit enim in eo libro ma-
gnum illud lumẽ Orbis Athanaſius:
Beatus ille Alexander Arium expulit
ab Eccleſia, proferentem hæc ſacrilega;
Non ſemper Deus pater, non ſemper
erat filius. Item; de nihilo filius eſt,
& creatura eſt, & exiſtendi princi-
pium habet. nam cum Deus nos crea-
re vellet, tunc eum propter nos fecit;
& ex quo factus fuit, appellauit eum
Sermonem, & Sapientiam, & Filium;
Sermonem, vel Rationem, propter
creata ſermone, rationeque prædita,
quæ condidit: Sapientiam, propter eos,
quos erudiit: Filium, propter eos,

Ratio, propter quam ſancti Patres vnam Verbi naturam incarnatam dixerunt.

ձը 108

ձթ 109

ճժ 110

Թիւն, ասել զմի բնութիւն ի բերս
առս:

Լիմն. Բայց սակայն միշտ առ-
բանականաբար ի միտք եմ ինձ առած-
լոյն սրբոյն Կիւրղի. որ ասէ. Թէ մի
է բնութիւն բանին մարմնացելոյ: քան
զի բազում անգամ խորհելով ընդ-
անձինս եմոյ. ոչ էղէ հասու. Թէ վասն
որոյ պատճառի սբն Կիւրեղ ասաց
զայդ: սակս այսորիկ միտք եմ անհան
դեսա և տապալեալ գոլով. ապա ի
յայս կարծիս եկի. և ասացի. զի եթէ
սբն Կիւրեղ ոչ կամէր ցուցանել. զմի
գոլ բնութիւն բանին և մարմնոյ յետ
միացմանն. ոչ երբէք ասացեալ էր զա
յդ: ինքն զի ոչըք հերետիկոս ասաց էր
բնին. Թէ բանն ունէր յինքեանն զեր
կու բնութիւն. մինչ զի այնոյ լինէր
ընդդեմ նորին ասել սբն Կիւրեղ զմի
բնութիւն բանին:

Մտրն. Թերևս ոչ ես ընթերցեալ
ղերորդ գիրսն մեծին աղթանասի
գրեալ ընդդեմ աղրիոսականացն: զի
եթէ ընթերցեալդ էիր զնա. ոչ ունէ
իր զտարակուսութիւդ զայդ: քանզի
այն գիրքն ծանուցանէ մեզ. եթէ
սինձն աղրիոս աղանդաւորքանն ու-
նել զերկու բնութիւն. զմինն ստեղծեալ,
և զմիւսն անստեղծ: ուստի և այն
մեծ լոյսն աշխարհի սբն աղթանաս
գրէ ամդ այսպէս երբանելին աղդքան
որոս մերժնաց յհելենացոյ զաղրիոսն.
որ ասէր զհայհոյութիւնս զայսպիսիս. Ոչ
միշտ այր էր հայր. ոչ միշտ էր որդի:
Եւ դարձեալ. որպէս ինչ յոչընչէ լինին, և
արարած է, և ունի զսկիզբն գոլոյ. յա
յնժամ այր կամէր ստեղծել զմեզ. յա
յնժամ արար զնա մես մեզ: և յորմէ էղ
էն, կոչեաց զնա բան և իմաստութիւն,
և որպէս կոչեաց բան, կամ բանաստ-

զ հդ բութիւն

ոյս ԹԷ՝ ՚ի սահմ-նլոյն բանիւ, և ՃԻա
բանաւ-որս ԹԷ զատ-ալոյն, զոր ա- 111
րար. խնամատ-ԹԷ, ՚ի նոյն զոր ո-
ւոյց. և որդի, ՚ի նոյն զոր որդէ
դնէր ասլար: Է-ս դարձեալ ասէր. ԹԷ
՚ի հայրն գոյ այլ բան և խնամատ-ԹԷ
յատու-կ գոյացու-ԹԷն ի-րենն. և որով
ինքն ապարեալ էր զորդին. և ԹԷ սա
էր բնու-ԹԷ փախիսնլի. և կոչելս ՃԺ
ըստ հաղորդ-ու-ԹԷ միոյն, և ոչ ապ
դար մարդինկէն. Թեպետ և օտար էր
յԱծ-ային բնու-ԹենԷ. և ոչ մարտնէն
և խառնիճն, այսպէս և նա կոչելս
զօրու-Թի այլ: Է-ս դարձեալ ասէր. ԹԷ
հայրն անձ-անօԹ էր որդուոյն. զի որ
դին ոչնչով զանկիզէն, ոչ կարէր կա ՃԺբ
տարելաւ ձանաչել զհնանկիզէն. և ոչ 112
ԹԷ միոյն ոչ ձանաչէր կատարելա
պէս զբնու-Թիւնն հօր. այլ ոչ և ս զբնու-
Թիւնն ի-րենան ինքեան: Օայսոսիկ և
զայլս այսպիսեացս աղանդէր ՀՀրի
ոան:] Սինչ և յատատ ևն բանք մեծ-ին
ՀՀԹանասի. ՀՀրի՛ առատյու-ք և մեք.
ԹԷ զնաղդ-նոյն ՀՀրիոան հատատաւէր
զնո-ք աղանդն. ըստ որում ատատհա
նեցաք ՚ի յայլոց հարց սրբոց: բանզի
մ՚ն հատատաւելոյ. ԹԷ գոյք ՚ի հայրն
այլ ՚անէրտատմադրեալ բան յատու-կ
գոյացու-ԹենԷ իւրեան, ասէր հերձո
ած-ոյն. ԹԷ մ՚ն այսորիկ քո աստուածալ
էր հրէիցն. Է-ս գիտեմ զհայր. և այս ՃԺգ
հետ զբանն նորա: որոյ մ՚ը իմանայր 113
ՀՀրիոան զայն բանն, զոր ինքն կոչէր
նէրատատմադրեալ բան այլ: ոչ գիտէ
լով, ԹԷ քո անուատմբ բանին՝ իմանայ
ատա զկատմս հօրն. Է-ս դարձեալ ասէր.
ԹԷ հայր ած այնպիսի բանիւ՚ն խօսե
ցեալ էր առ որդին իւր, ասելով: ՚Ի
յարգանդէ յատաջ քան զարուսեակ
ծնայ զքեզ: և ԹԷ յայլ ու-րէք նովին

quos adoptauit. Addebat etiam, alium
esse in Patre à natura, & pro-
prium substantiæ ipsius, Sermo-
nem, ac Sapientiam, in quo illum
fecerit, quòdque natura sua mu-
tationi sit obnoxius, & per com-
municationem, vt homines iusti,
Deus appelletur; alienus interim à
Dei natura. Item, vt erucam,
& bruchum, sic & ipsum Potesta-
tem Dei dici. Patrem quoque filio
inadspectabilem esse: nam filium,
qui principium habeat, expertem prin-
cipij non posse perfectè cognoscere:
nec tantùm illum accuratè Patris na-
turam non nosse, sed ne suam quidem.
Huiusmodi alia quoque nugabatur.
Et hæc quidem ex illo magno Atha
nasio. Dicamus & nos, quæ diuer-
sis ex Patribus excerpsimus, vnde
suum ille delirium confirmauerit.
Probans enim, alium esse insitum
Patri Sermonem, & ipsius substan-
tiæ proprium, dixisse Christum ad
Iudæos, aiebat: *Noui Patrem, &* Ioan. 8.
sermonem eius seruo. quibus in ver-
bis eum sermonem intelligebat,
quem insitum ipse dicebat; igno-
rans, Christum hic sermonem vo-
care voluntatem Patris. Præterea
dicebat, Patrem ad filium hæc ver-
ba protulisse: *De vtero ante lucife-* Psal. 109.
rum genui te. Et alibi ad Populum:
Hic est filius meus dilectus. Et in Matt. 17.
Transformatione similiter. Hinc
aiebat: Si Pater per Sermonem
ad filium loquebatur; alius scilicet
erit Sermo, quàm Filius. Igitur
aduersus hanc opinionem magnus
Athanasius ille dimicans, vnam

naturam Sermonis, ſeu Verbi incarnatam dicebat : non vnam increatam, & Dei ſubſtantiæ propriam; aliam creatam, & ab eodem alienam. Atque hinc beatus ille Cyrillus id Verbum mutuatus, vnam dixit naturam Sermonis incarnatam. Et hoc eſt, quod ait: *Vti Patres loquuti ſunt* : Patres appellans magnum Athanaſium, & reliquos, qui ſe impio illi Ario oppoſuerunt.

Arm. Patriarcha plene ſibi a Theoria no ſatisfactũ, fatetur.

Gener. Plurimùm mihi profeciſti mi Frater. Ignorabam enim, ex Hæreticis aliquem hoc dixiſſe. Nunc mens mea, perceptis magni Athanaſij verbis, quietem adepta eſt. *Theor.* Habes ſanctiſſime Domine, teſtimonia ſanctorum hominum plura de eo, quòd naturas duas in Chriſto & credere debeamus, & confiteri; minimèque naturam vnam in eo dicere : quin & cauſam audiuiſti, propter quam Patres dixerint vnam naturam incarnatam. Itaque nihil poſthàc negotij nobis de hoc facelſes; ſed malam in rem eat vnius in Chriſto naturæ confeſſio : nam ex ea non exiguum naſcitur offendiculum. Nec ignorat magna ſanctitas tua, vocem aliquando non malam, quæ malè tamen ab aliquibus intelligeretur, & exponeretur, reiectione dignam, à Patribus eſſe iudicatam; qualis & Chriſtiparæ vox eſt, Deiparæ Virgini tributa. nam & Chriſtiparam dicere poteramus

ասէ. Ժողովուրդն, և ասէ. ձայն է որդւոյ իմ սիրելի. Ուստի ասէ ա-
114 ղանդօղն զի ևթէ հայր ած ՚ի ձեռն բա-
նին խօսէր առ որդին եւրէն ապա ու-
րեմն այլ էր ներտաւտադրեալ բանն
այլ. և այլ որդին եւրէ. ձայն վն այսր
պատճառէ զինելով մեծն ձղթանաս
՚ի դէմ այսպիսի չար կարծեացս, ասէր
զմիբնութեն բանին զմարմնացեալին.
ոչ ևն երկու բնութեք բանին, միոն
անատնզծ, և յաւուրկ գոյացութեն
այլ. և միւսն ստեղծեալ, և օտար ՚ի
նմանէ. Ե՞ապա սբն Կիւրեղ ասէ
զմի բնութեն բանին զմարմնացեալն
վն այսորիկ ասաց. Թէ ոչ հարքն խո-
սեցան. կոչելով զհարս՝ զմեծն ձղթա
նաս՝ զայլս որք ընդդեմ ասեն ամբա-
ստանին ձղթոսի.

Կիւրեղ բազում օգուտ քեն արարեր
ինձ այժմ եղբայր իմ սիրելի բանիդ ոչ
գիտէի. Թէ մի ոմն հերձուած ոգոյ ա-
սացեալ էր զայդ. եսկ այժմ որ խնացայ
զբանս մեծին ձղթանասի. միաբ իմ
հանգիստ եղև. Աստր. ձղհատ ասիկ
ոչնիս ոչ առ աստնաբ զմիկայութեն
յոլովս սբբոց հարցն. Թէ պատճառ
հատ առալ և խոստովանիլ ՚ի քս զերկու բնութեն. և ոչ զմի ՚ն նա և լուեալ
ես զպատճառն վն որոյ սբ հարքն ա-
սացին զմի բնութեն բանին զմարմնա-
ցեալ. Ուրեմն այսու հետէ մի ապա
ջիս մեզ զբան ևնչ տարակուսութե՚ի
վն այսորիկ. այլ ի չար կրճանցն խոս
տովանութեան մի ոյ բնութե՚ն յորմէ
ծնանին մեծ գայթակղութեքանզի լա-
գիտեաք քոյ սբբութեդ. ևթէ սբ հարքն
էրբեմն մերժեցին զբաղբատ ինն, վն
ոմանոյ չար իմացողութե՚ն զիմանալ. Թէ
պէտ և բարբառն այն ոչ էր չար ըստ

մեզ

ինքն

ինքեան : զոր օրինակ . Ընկեաւ և մեք
բարեկէս կարէաք կոչել զայծ-ած-ինն
ամբիծ, քրիստոսած-ին զի ոչ զի ծնաւ
զքն, այծ և մարդ. զոր ընդունակէ անուանս.
քն սակայն սոյնպիսի բառս քրիստոս
ած-ին մերժեցաւ ի սրբոց հարցն եբ
րե. զհայհոյու-Թիւն, զի ոչ կարէ ներելոց
Թեն Նեստորի, որ մեկնէր զնա Թե
րադիւս ընդ ան և քէզ. հայր սբ. պարտ
է և մեր մերժել զասացեալն ոմոյ բնու
Թե. զի և սբ հարքն հերքեցին զնա եբ
րե զհայհոյու-Թիւն. որպէս ասէ սբն
ընդ մբոսեաս. Թէ որպիսի դժոխք միտք
ցին զանչափ հայհոյու-Թի. և ոչ հաս
տատագոյն համարիլ զբոյ կարծ նոդ
առաւել քան զիարծ նոն նուիրանց. և
ոչ տալ զառիթ դայԹակղու-Թէ բազ
մաց : Լիմն. Բարու-ք ասես : ապա
տու-ր ինձ զառհմանն չորրորդ սինհո
դոսին . Եւ երբև մատու-ցեալ էաք
նմա զառհմանն բազիեդոնի ժողովոյն.
գնացաք առ ի հանգիստ առնու-լ :

Է-և ի վաղիւ դ էկն առ մեզ Յո
հաննէս ասորեստանի եպիսկոպոսն հնամն
այ. և լուեալ Թէ Լատնու-զիկոն հա
յոց յետ բազմահաս ատամնբանու-Թէն
հաւանեալ էր բանիցն հռոմայեցո
ց. և Թէ միաբանեալ էր ընդ նոսա
ամ երօք. զի ասէին ոմանք, Թէ նա
յանձն առնու զոր ինչ ի նոցանէ ասի .
և վկայէ մեզ, զհռոմայեցիսն ոչ ա
ռել ինչ արտաքոյ ամ-աշու-նչ գրոցն.
այլ ընդունի վկայու-Թեց սրբոց հարցն,
զոր և մեք նոքօք ընդու-նիմք, հաստա
տել զվարդապետու-Թիւն եւրնանց :
Օտր երբև լուաւ եպիսն Յոհաննէս.
եմու-տ առ կնն. և ասաց : Ոչի ոէր.
և զինչ է այս որ լսեմ զկնգապատիճ
սրբու-Թենէ բու-մէ : ապաքէն և դու
և նա անխս հռոմայեցու-ցն ընդու-

mus : Chriſtum enim peperit , Deum & hominem ; quod ipſum nomen propriè denotat : ſed quòd eius nominis ſignificatum à Neſtorio nequiter acciperetur , velut ſacrilegum à ſanctis hominibus repudiatum eſt . Debes ergo , ſanctiſſime Domine , illam quoque vocem , iudicatam à Sanctis ſacrilegam , (*quæ tantum* , ait Ambroſius , *ſacrilegium Infernа vomuerunt ?*) vti ſacrilegam , miſſam facere : nec iudicium tuum illorum iudicio firmius ducere ; nec pati , tuum vti iudicium pluribus occaſionem offendiculi præbeat . *Gener.* Rectè dicis ; ſed date mihi quartæ Synodi de fide definitionem. Quam cum ei obtuliſſemus , ad quietem nos compoſituri diſceſſimus .

Poſtridie eius diei , Epiſcopus Ceſſunij Ioannes Syrus appulit ; & intellecto , Generalem Armeniorum , multoties habito cum Romanis colloquio , verbis eorum aſſentiri , iamque per omnia cum eis conuenire : (probat enim , aiebant alij , quæ ab ipſis dicuntur , nihil affirmans extra ſacras Scripturas à Romanis proferri : ſed ex ſanctis Patribus , quos ipſi quoque veneramur , ſuam eos doctrinam aſſerere) ad Generalem aſcendit : et , Quid hoc rei eſt , inquit , Domine , quod de tua inſigni Sanctitate audio ? Tùne Romanis , errores Neſtorij probanti-

Syrus Epiſcopus queritur cum Arm. Patriarcha , quòd Romanis aſsẽtiretur .

bus, assentiris?

Gener. Ego Romanis non assentior; immo nec Patriarchæ Constantinopolitano, nec ipsi excelsissimo supra omnes Imperatori, vel propter dignitatem Patriarchalem, vel maiestatem Imperatoriam paruissem; nisi veritatem ipse agnouissem. Eam verò negare nequeo; nec sanctis Patribus aduersari possum. Respondit Generali Syrus: Audiui te quoque naturas duas in Christo confessum esse. Nosti verò, Nestorij nos opinionem sequi si duas naturas confiteamur, & pro Trinitate Quaternionem, propter naturæ alterius accessionem, habituros.

Gener. Heri, ac nudiustertiùs, propeque totam hanc hebdomadam plurimùm laborauimus, quotidiè colloquentes: hodie verò, & cras quiescere volumus, animumque remittere. post triduum verò, si placet, nobiscum aderis in colloquio; quodque tibi ad animum acciderit, dices: nos quidem id lubenter audiemus.

Cæterùm vbi adueſperasset, accessit ad Theorianum Doctor Vartanes nesciente Generali, & ait: Episcopus ille Syrus, & noster Generalis totam hodie diem inter se collocuti sunt de vna, duabusque naturis. Tum Theorianus, vellem, ait ad Vartanem Magistrum, quænam ea sunt, quæ Syrus ille ad dogmatis sui probationem dicat, cognoscere. Vartanes verò, nihil, inquit, vltro citroque nostrum ad

Gene-

ձեռ 120

ձեռա 121

ձեռբ 122

Նողոյ դիմոլորա-Թիս Ղեհսաորին։

Լիմ-ան. Ես ոչ հաճ-անեալ էի հոդով տայեցո-ոյն. և ոչ ես Հնազանդեալ էի Պատրիարգին Կոստանդնո-պոլ սի, և կամ ինքեան գերազարձը Կայսերն. ոչ վն պատրիարգական մեծ-ու-Թէն. և ոչ վն կայսերական մեծ վա-յել չու-Թէն. Եթէ ես իսկ ոչ ճանաչէ-ալ էի զձշմարտու-Թին։ քանզի ոչ կա-րէմ ուրանալ զնա. և ոչ հակառակ լինել սրբոց Հարցն։ Ես ասէ Եպս-կո-պին ցկ-Թան. Լու-եալ եմ. զի և դու խո-սովան եղեր ի քս զերկու բնու-Թիս ոչ ապաքէն գիտես. Հետեւիլ զմեզ կար-ծեացն Ղեհսաորի. Եթէ խոստովա-նիմք զերկու բնու-Թին և ես վախ-նամ երրորդու-Թէն ընդ-ունել զչոր-րորդու-Թի, վն վերաբերու-Թէ միս բնու-Թեան։

Լիմ-ան. Ե-րեկ, և յեռանդ, և ի բովանդակ անցեալ շաբաթն յոյժ ազ խոսեցեալ տրամաբանելով։ արդ կա-միմք այսօր և վաղն Հանգստանալ և Թուլացու-ցանել զանձն; ապա յետ երից աւ-ուրց. Եթէ քեզ հաճոյ Թու-նայ. Նոքինա ընդ մեզ ի տրամաբա-նու-Թէ. և խօսեսիս զոր ինչ ած-ցես զմտաւ. Նա և մեք լու-ցցու-ք զբեզ յո ժար կամօք։

Ձրդ երբեք ընդ երիկոյս եղև. մա-տեաւ առ Մ-րնանէ վրդպան Լ-րթա-նէս. և ասէ։ Ձ-ասոն եպիսկն, և մեր Լիմ-ան բովանդակ այսօր խօսեցան ընդ միմեանս յղգս միոյ և երկու-ց բնու-Թեցն։ Ես Մ-րնանէ ասէ ցԼ-րթա-նէս. Կամէի գիտել, Թէ զինչ առ-բե-րէ ոյն Ձ-ասոնն վն հաստատուելոյ զա-նացեալն նա։ Լ-րթանէս ասէ. Ոչ առաջաբերէ զայլ ինչ բայ ի սմանէ. զի Եթէ մեք ասեցեմք զերկու բնու-Թի-

ոչ Թէ միայն լինելոյն նեստորականք. այլ եւս փոխանակ երրորդութեանն
ՃԽԳ 123 Generalē protulit, nisi hoc: Si duas in Christo naturas dixerimus, non Nestoriani dumtaxat erimus, sed & Quaternionem loco Trinitatis in diuinitate confitebimur, propter naturæ alterius accessionem. Tum Vartani Theorianus: Et quibus, ait, probationibus hoc demonstrabat? Nec auctoritatibus, inquit Vartanes, nec syllogismis orationem suā probabat; sed tantùm ita contentiosè, ac inconsideratè voces confusas effundebat, vt Sacerdotibus suis aliquid dicere videretur. Theorianus verò Vartanem interrogans, Quid, ait, Generalis ad ista dixit? Dixit, inquit Vartanes, tota ista septimana plurimùm laboratum esse, quotidianis colloquutionibus habitis; nūc aliquot diebus labores remittendos. Vbi verò colloquiū denuò inchoabimus, inquit, ipse nobis adesto, si placet; ac quicquid ad animnm tibi acciderit, dicito: nos quidem id libenter audiemus.

Post aliquot dies accersiti, ascendimus in Cœnaculum, vbi nuper quoq; collocuti eramus: inuenimus autem Syrum illum Episcopum ad dextrum Generalis latus assidētem, & Armenios Episcopos sedētes singulos suo loco: cumque nos ad sinistram Generalis pro more considere iussi fuissemus, deinde cōsedissent & Episcopi; (quippe primas in confessu nobis offerebant) multo tempore nihil omnino quisquam ad alterū vlla de re proferebat, sed commune silentium erat. Igitur vbi iam plurimum temporis præterijsset, his ver-

bis

bis Generalem Theorianus allocutus est: Audiui, quosdam esse, qui dicant, si duas in Christo naturas confiteamur, non modò nos furiosos Nestorianos, sed etiam Trinitatis loco Quaternionem prædicaturos; ac miror equidem, quonam pacto, qui hæc dicunt, perspicere non potuerint, minimè Nestorium propterea depositum fuisse, quòd duas naturas diceret, (hoc enim illustri & clara voce diuini Patres vniuersi prædicant: Cyrillus quidem his verbis, duas naturas esse dicimus: Gregorius verò Theologus; naturæ duæ, nam Deus & homo: cæterique omnes, quos anteà tibi produxi testes) sed quòd diceret naturas duas inuicem separatas, diuinã seorsum, itidẽque seorsum humanam: ea propter duos filios, & duos Christos esse, Fanaticus ille statuebat; aliũ filium esse delirans, qui ex Deo Patre sit, alium qui ex Virgine; quam ob causam & sanctam illam Virginem vocare Deiparam nolebat. Quod autem minimè Nestorius vnionem confessus sit, sanctus ille Cyrillus in epistola ad Eulogium his ipsis verbis ostẽdit: *Sic & in causa Nestorij, quamuis duas naturas, discrimen carnis, & Verbi indicans, dicat; (alia namque natura Verbi est, alia carnis) vnionem tamen nobiscum non confitetur. Nos enim his vnitis, vnum Christum, vnum Filium, vnum Dominum confitemur.* Ad id verò, quod subijcitur, Trinitatem fore Quaternionem, si duas naturas in Christo confiteamur: pro nobis sanctus ille

Qui duas naturas in Christo cõfitetur, nõ ponit in Deo Quaternionẽ.

Cyrill. ep. ad Eulogium.

vir

զնա՛րդ ա՛նօգնէն այսպիսեացն ո՛չ կա-
րացան ճանաչել, եթէ Նեստոր ո՛չ
եղե՛ նզովեալ վասն այսորիկ զի ա-
սէր զերկու բնութիւն: քանզի և այժ
ա՛ր հարքն բարձր ձայնիւ բարոզեցին
զոյն այս. մանաւանդ սբն Կիւ-
րեղ այսպիսի բանիւ: Երկու ասեմք
զոլ զբնութիւնս: և զի բնիցդ ա՛ն-
ապատն. բնութիւնք երկուք: քանզի
ա՛ն և մարդ: և այլ սբ վրդ պաք,
որք յառաջն բերեալ եղեն ի մէնջ.
ա՛յլ նզովեալ եղե՛. վասն զի ասէր
զերկու բնութիւս բաժանելոյ ի մի-
մեանց, զա՛ն այնինն ուրոյն, և զմարդ
կայինն ա՛ւրոյն: ուստի և զերկու որ
դի, և զերկու քրիստոս այն զնի՛ա
հարն կայուցանէր. ասելով, զայլ
զոլ որդի հօրն սո՛ր, և զայլ որդի
կուսին Մարիամայ: վասն որոյ և
ո՛չ կամէր զամենասբ կոյսն Մարիամ
կոչել ա՛ստուածին: Եւ թէ Նեստոր
ո՛չ խոստովանէր զմիացուածն բնու-
թեանն. մեզ ցուցեալ եղե՛ի նոյն
սբոյն Կիւրեղէ. որ ի Թուղթն ա-
ե՛լքիոս գրէ զայս: Նոյնպէս և
Նեստոր Թէպէտ ասէ զերկու բնու-
թիւն, նշանակելով զտարբերու-
թիւն մարմնոյ և բանին. քանզի այլ
է՛ բնութիւն բանին, և այլ բնու-
թիւն մարմնոյն: սակայն ո՛չ խոստո-
վանի ընդ մեզ զմիաւո՛րուն թիւն:
[զոր՝ մեք միաւո՛րելով զնաւա՛ն զմի քրիս
տոս, և զմի առ խոստովանիմք] ա՛յլ
ա՛ն այն զոր ասեն. Թէ Երրորդու-
թիւնն լինիր չորրորդու թիւն, եթէ
խոստովանիմք զերկու բնութիւն.
պատասխանատուէ վասն մեր սբն
Ա՛թանաս. որ ի Թուղթն ա՛ն
Ե՛պիթէոս գրէ այսպէս: Ա՛մա-
չէաց՝ն նոքա՛, որ կարծե՛ն զերրոր

դա-Թեւն լինել Հօրորդա-Թեւն , ՃԽԹ
եթէ մարմինն ասէ գոլ ի սրբոյ կու- 129
սէն Մարիամայ ասելով . զի եթէ
զմարմինն հաւասգոյակից բանին ա-
սիմք . Երրորդա-Թեւնն ինայ Երրոր
դա-Թեւն . զի այս ոչ մուծանէ զօ-
տար ինչ ի նմա : ապա թէ ասեաք ,
գոլ ի մարիամայ զմարդկային մար
մինն . ի հարկէ վերաբերի այլ եր
ինչ Երրորդա-Թեանն . զի այդպիսի
մարմինն էր ըստ բնու-Թեան օտար
ինչ ի յԵրրորդա-ՈՒԹենէն : Հաւդ ոչ
բան ոչ գիտեն , եթէ ասելով զայս ,
աւելին զնոյն մտած-ու-Թին ներբե-
անց : քանզի ասելով , Թէ մարմինն
ոչ է ի Մարիամայ , այլ Թէ հաւա- ՃԼ
գոյակից է բանին . ըստ այդպիսի 130
մտացն ներբեանց յայտնապէս ասէն
զնոյն , զոր և Երկնչեին ասել . ՅՒ . գոլ
Հօրորդա-Թեան : վասն զի որպէս որ
զի Թեպետ է հաւասգոյակից Հօր . ոչ
այսու ինքն է Հայր , այլ զանազանի
ի հօրէ : նմանապէս և Թեպետ մար
մինն լինէր հաւասգոյակից բանին . ոչ
այսու ինքն էր բանն , այլ զանազանեալ
էր ի բանէն . Եւ եթէ զանազանեալ
ինչ էր ի բանէն . ապա և ըստ ին
քեանցն ներբեանց՝ ամենասուրբ Երրոր
դա-Թեւնն լինէր Հօրորդա-Թեան :
քանզի Աշխարհս , գերակատար , և
անբաժանելի սէր Երրորդա-ՈՒԹենն ոչ ՃԼԱ
է ընդունակ վերաբերու-Թեան ինչ . 131
այլ միայն այս միւս Երրորդա-Թենն
մտացած-ինա ներբեանց՝ գոյր այդպի-
սի : Եւ զիարդ քաղաքանդ լինիք
ցին սրբոյ , որք ածէն զմտաւ զայլ
ինչ ևս բաց ի Աշխարհս աստուած-ոյն
մերոյ Եւ դարձեալ ի ձեռն այլոց պատ
ճառի կարելիք առնանել զինքեանսդա-
Թեան դոյն : քանզի ԵԹԷ կարծէն ,

ՄՀ ևս ԹԷ

vir Athanasius satisfaciet ; cuius in epistola ad Epictetũ Corinthi Episcopum hæc ipsa verba sunt : *Insigni pudore afficientur , qui vel cogitatione putarunt , posse pro Trinitate fieri Quaternionem , si corpus esse de Maria dicatur : si corpus , inquiunt , vnius esse substantiæ dicamus cum Verbo , Trinitas manet Trinitas ; quòd hæc ratio nihil ei peregrinum inferat . Sin humanum dicamus illud ex Maria corpus ; necesse est , aliquid Trinitati accedere ; quòd corpus illud secundum substantiam ab ea sit alienum . Hæc cum ita dicunt , non cogitant , quo pacto seipsos euertant . nam si maximè corpus ex Maria non esse dicant , sed eiusdem cum Verbo substantiæ : nihilominus quod vereri se simulant , ne sentire videantur , id ipsum eos iuxta sententiam suam dicere constabit , nimirùm esse Quaternionem : quippe sicuti Filius , secundum doctrinam Patrum , eiusdem existens cum Patre substantiæ , non ipse Pater est , sed filius cum Patre consubstantialis dicitur : ita & illud consubstantiale Verbo corpus non erit ipsum Verbum , sed aliud quiddam cũ Verbo : si aliud quiddam est , sanè secundum ipsos sacrosancta Trinitas erit Quaternio : nam vera , plenèque perfecta , & expers illa diuisionis Trinitas nullam recipit accessionem , sed ista ab eis excogitata Trinitas . Et quo pacto Christiani erunt , qui alium præter verum Deum excogitant ? Rursus & in altero sophismate stoliditatem ipsorum perspicere licet . Si propterea , quòd sit , atque dicatur in sacris litteris huma-*

Athanasius in epist. ad Epictetũ .

num ex Maria corpus Seruatoris, pro Trinitate Quaternionem dici putant, velut acceſſione facta propter corpus; multùm ſanè falluntur, creatum exaquantes Opifici, & exiſtimantes aliquid accedere diuinitati poſſe. Ignorant denique, non vt aliquid accederet diuinitati, Verbum factum eſſe carnem; ſed vt genus humanum redimeret, &c. Audis, quo pacto beatus Athanaſius, diuinum quendam zelum ſpirans, eos tangat, qui corpus eiuſdem eſſe ſubſtantiæ cum Verbo dicunt? *Pudore afficientur*, ait. item, *Non cogitant, quo pacto ſeipſos euertant.* & rurſus, *Stoliditatem ipſorum perſpicere licet.* Inſipientes, & ſtultos vocat. Et hæc quidem Athanaſius. Nos autẽ alio quoque modo, ſi placet, impietatẽ eorum redarguemus.

ՃԼԲ 132

ՃԼԳ 133

Gener. Mihi ſanè videtur, ad eiuſmodi erroris agnitionem, non eſſe opus ampliori refutatione. nam qui aſſentiri ſancto viro Athanaſio non vult, tantoperè occlamanti eorum veſaniæ, qui corpus eiuſdem eſſe cũ Verbo ſubſtantiæ nugantur, & quaternionem in diuinitate, loco Trinitatis fieri ſomniant: cuinam mortalium, nunc in terris exiſtenti, ſit aſſenſurus, equidem non video. Quòd tamen complures, aut omnino litteras ſacras non legunt; aut legunt illi quidem, ſed aliud quaſi agentes, non ſtudiosè; qua de cauſa mentem earum intimam ignorant: rectè feceris, & acceptum Deo, nobiſque gratum præſtiteris, ſi errorem eorum confutaueris; modò id tibi placeat, & alia facere via poſſis.

ՃԼԴ 134

Theor.

Theor. Multi Satanæ, qui malis oblectatur, & genus humanũ odit, extitere discipuli, vel instrumenta potiùs, ad multorum perniciem; qualis erat abominabilis ille Seuerus, qui Antiochiæ thronum per tyrãnidem obtinuit. Is minimè præceptum illud reueritus, quo dicitur: *Execrabilis, qui in itinere cæco causam erroris præbet*; plurimos in errorem à recta deuocatos via, in perniciei barathrum miserabiliter præcipitauit; cum facere diuersum deberet, nimirùm ab errore ad veritatem diuertere, quod quidem & præsulatus ipsius ab eo requirebat. Deutor. 17

Verùm & ab auribus, & multò magis à corde reiectis Dei mandatis, quæ ita præcipiunt: *Per portas meas ingredimini, & iter populo sternite, deque via lapides amouete*; Is operã dedit, vt non ad structuram illius viui templi, sed potiùs ad ruinam, & offensionem plurimam lapides in via vitæ per infamiam spargeret: adeòque verbis, & scriptis naturam Emmanuelis vnam tradidit, veritus, ne Trinitatis loco quaternio fieret; haud cogitans miser, vti quidem videtur, nomen Trinitatis non habere significationem naturæ, sed numeri personarum, vel hypostasium. Quo igitur modo collegit ille quaternionem, cum nos minimè cõfiteamur Dei Verbum assumpsisse hypostasin, sed nostrum illud in seipso constituisse: adeòque statuamus, Emmanuelẽ esse vnam hypostasin, & vnum filium? Quòd si nouus, ac vanus ille Theologus tres

naturas in ſancta Trinitate confitetur; deinde naturà Emmanuelis humana, quã nos confitemur, ad ſuas illas tres naturas adiunctà, pro Trinitate quaternionem fieri, concludit; optimè id quidem facit; quippe ſeipſum artificiosè, peritèque ſeparat ab vno ſolo Deo, & in opinionem de pluribus Dijs deflectit. Sin vnam diuinitatis naturã & ipſe confitetur, dualque naturas in Chriſto: vndenàm ei naturarum quaternio proficiſcatur, ſcire nequeo. Nec item fieri poteſt, vt in Trinitate quaternionem hypoſtaſium, abſque alterius hypoſtaſis acceſſione, cogitemus.

ևս սուտ ասե-ալբանն խոստովանի զնա
քան բնու-Թիս ի յամենասբ երրորդու
138 Թեն. և յետոյ վերաբերելով առա
դմարդկային բնու-Թին զոր մեք խոս
տովանիմք ի քրիստոս. ասէ լինել նոր
երրորդու-Թի փոխանակ երրորդու-Թեն.
բարի առնէք արդեօք. զի հնարու-Թիւ
և հանձարիւ հրաժարելոյ-ցանէր
զինքն ի միոյ այլ. և խոստովէր ի կար
ծիսն բազու-մ ասե-ոց: հաղիւս Թէ և
ինքն խոստովանի զմի բնու-Թիւն յայ
ծու-Թեն. և զերկու բնու-Թի ի քրիս
տոս. ոչ կարեմ առնսանել Թէ ուսաի և
յե չորրորդու-Թի բնու-Թեայն: և ոչ
կարէ եւս լինել. Թէ մեք, առանց զի
րաբերու-Թե այլոյ անձին, խորհիմք
139 ի յերրորդու-Թեն զչորրորդու-Թի ան
ձանց:

Ես-յետ ասացելոցս այսոցիկ կիմն
էարկ զաչս ես-ր ի վե ասորի եպիսկոպոսն. և
տեսանել զնա երեսանակեալ հայել յերե
կիր, և ոչ երբէք հատբառնալ զաչս.
դարձեալ ի մելխան կողմն, աչիսա
կէր նմա, որպէս զի և ինքն հայէր
հաւատոյն. և տեսանել զնա մելխան,
ժպտեալ. և ասայ ցնմա: Տէրնիմ
զինչ հարցանել ոմ տէր ի քոյ գէրա
կատար սրբու-Թենէդ: և աղաչեմ
զքեզ. ոչ հատնարել ծանրա, տալ ինձ
պատասխանի և լուծումն խնդրոյս:
141 կիմն. ԵԹէ ասե-ոց ինձ զիմա
ցողու-Թիւնդ. ոչ ծանրացայց ծա
նուցանել քեզ զնեինու-Թիւն:

մելխ. Ջնորհէ ասե-ցուք, զոր
ասաս առաջի մեր զերիս կատրս ոսկւոյ
ունօղս զմի բնու-Թի. յր. ոսկւոյ: ԵԹէ
սոցա զմինն արկանեմ ի մէջ հրոյ յա
յժամ հրացեալ մի կատրն ունէր զեր
հու բնու-Թի. յր. ոսկւոյ, և հրոյ ապա
առնել ի միասին զմի հրացեալ կատրն

Aptiſſimũ exẽplum.

Theor. Sint hìc, vel vt in hypotheſi, tria igne potiora, quæ tamen vnius naturæ ſint, auri ſcilicet. Si horum vnum in ignem coniecero, planè ignitum illud duarum naturarum erit; ignis inquam, & auri. Deindè hoc ignito, reliquis duobus nec dum ignitis, interrogo: quotnam ſint hæc igne potiora? triane, ceu

140

priùs

և զեր

և զերկուսն ոչ հրացեալս. հարցանեմ, թէ քանի են ասէ կատարք այսոքիկ. եղեալ որպէս յառաջն. կամ թէ եղեն չորք վս վերաբերեալ բնութեանն հրոյն Հայնա. Օրհնեալ ես այդպիսի հարց տանդ տացէ Յոհաննէս սրբակրօն եպիսկոպոսն Հայոց Հայնանեայ։

ՏՊրն՝. Իսկ քոյին սրբութեդ ինո հետեւութեն զինչ ասէ։ բնութենն վերաբերեալ հրոյն ամենայնի զերիս եղեալս այսոցիկ. թէ ոչ։ Հայնա. Իմն թուի, թէ ոչ ամենայնի։ ՏՊրն՝. Բայց եղելոյն, ասեն ունենին յառաջ զիս բնութեն. և այժմ միոն ի նոցանէ զերկուս բնութեն։ Հայնա. Եւ զայս մեք լսեմ զի առեալ է։ ՏՊրն՝. Ոչ սակաւքն է հարկ հաւատոյ, զերիսորդութեն կատարին լինել չորրորդութեն վս միութեան բնութեանցդ. հրոյն Հայնա՝. Ոչ բնաւ եւ եւ է հարկ հաւատոյ։ ՏՊրն՝. Ուրեմն սպայ իմաստք են այսոքիկ, որք ասեն. թէ ի հարկէ պարտ էր մեզ խոստովանել զչորրորդութեն, եթէ ասէաք ի քո զերկուս բնութեն.

Եւ եբեւ զայս ասաց ՏՊրնանէ. դանգնեալ ասորի եպիսկոպոսն առանց խօսելոյ ինչ՝ եւ ի վերնատանէն հանդերձ քահանայիւքն իւրովք։ և հարցաք նեղով զինա քահանայքն թէ վասնէր ոչ էր խօսեալ ինչ ընդ եպիսկոպոսին. ասաց նոցա. թէ անպատշաճ է ինձ խօսել զայսպիսեսացս ի չորեսի սեղանոյն։

Եղեալ պակաս էր մի թուխտ ի չորինակին չորեսին և լատինացուցին։

ոչ էր ըստ մարդկութեն. զի ըստ աստուածութեն է յամենայնի ամենայնիւ հաւասար մարդ. այլ ոչ ոչ աստուած։ ուրեմն՝ եւս ըստ որում մարդ էր, ունէր

ՃՃԵ զկամս։

prius? An propter ignis naturam facta sunt quatuor? *Gener.* Huius interrogationis solutionem exponat Ioannes religiosissimus Episcopus Cessunij. 141

Theor. Quid verò Sanctitatis tuæ prudentia dicit? ignis ne natura numerum, siue quantitatem trium illorum auxit, an non? *Gener.* Mihi quidem non auxisse videtur. *Theor.* Atquì prius hæc tria vnius erant naturæ, nunc in vno duæ naturæ conspiciuntur. *Gener.* Hoc quoque in confesso est. *Theor.* Non igitur necesse est, trinitatem illorum, ignis vi potiorum, fieri quaternionem, propter alteram illam naturam, videlicet ignis? *Gener.* Non est necesse. *Theor.* Ineptiunt ergo, qui dicunt, necessariò nobis quaternionem pro Trinitate confitendam, si naturas duas in Christo demus. 142

His dictis, surgens ille Syrus Episcopus, nullo verbo prolato, è Cœnaculo cum Sacerdotibus suis egressus est. Interrogatus autem à Sacerdotibus suis, cur nihil cum Philosopho loquutus esset: non sibi licere, dixit, in aliena Synodo de huiusmodi rebus loqui. 143

Hic deerat vt in textu Græco, ita & in translatione Latina folium vnum.

humanitate non erat, nam diuinitate nusquam abest: ergo quatenus homo, non quatenus Deus, ingredi voluit; adeòque voluntate præ-

Theorianus demõstrat in Christo duas voluntates.

præditus erat, etiam quatenus erat homo. Item alibi; *Volo*, inquit, *vt vbi sum ego, & ipsi sint*. Si quatenus Christus est Deus, supra illud Vbi est; (quatenus enim Deus est, in loco non est) fieri verò nequit, vt natura creata supra idē illud Vbi sit: sanè quatenus homo est, vult, vt vbi sit, ibidem & ipsi sint; adeòque voluntate præditus erat, etiam quatenus erat homo. Rursus alibi; Cum veniisset ad locum, sitire se dixit; *Et obtulerunt ei vinum felle mistum, quo gustato non voluit bibere*. Secundum quam partem ipsius dixeris eum sitijsse? Si secundum diuinitatem, affectibus erit obnoxia diuinitas eius, quæ naturâ sua potum appetiuerit. Sin quo ad humanitatem; sanè quatenus sitijt, eatenus & quod naturæ non conueniebat, bibere noluit; eratque voluntate præditus idem, etiam quatenus erat homo. Et alibi dicitur; *Circumibat in Galilæa Iesus, non enim Iudæam obire volebat, quòd eum Iudæi ad necem quærerent*. Si circumitio carnis naturæ competit, non ei iunctæ in eadem hypostasi, diuinitati: nimirùm quatenus erat homo, idem in Galilæa circumãbulans, Iudæã obire non voluit; ergo idem voluntate præditus erat, etiam quatenus erat homo. Et alibi: *Inde egressi, Galilæam pertransibant, nec id quemquam scire, volebat*; neque tamen latere poterat. Item alio loco: *Inde mouens abijt ad Tyri, Sydonisque fines, & domum ingressus, neminem id scire volebat; neque tamen latere poterat*.

Ioan. 17.

Matth. 27.

Ioan. 7.

Matth. 9.

Marth. 7.

ձեսդ. 144

ձեսե 145

ձեսզ 146

Si

ղկամիլ: Եւ դրէլ յայլ ուրեք ասէ. Հայր միմ ղի և ուր եմ ես. և նորա եղիցեն ընդ իս աշդ՝ քս. ոյլ ասդ. կերպանացէ զայս աւէղիս ղի ըստ որում է ասդ. ոչ է պարագրեալ ի տեղւոջէ ուրիքեւսկ ստեղ ծ-եալ բնութեն ոչ կարէ նոյնպէս զե րպատանել զաէղիս: ապա քս, ըստ որում էր մարդ, կամէր. զի և ուր ինչն եղէ. անդ. և եղիցեն նորա: ապահուբեն և ըստ որում էր մարդ, ունէր զկամս Եւ դրէլ յայլ ուրեք ասէ. Թէ նկեալ ի գողգոթա, եառնն նմա գինի ընդ լեղի խառնեալ. և երբև ճաշակեաց, ոչ կամէր ըմպել: աշդ՝ ըստ որում մարդն առնն. Թէ քս ծարաւէր էաց: ոչ ըստ ասդ-ու Թէ. զի ասդ-ու Թեն ոչ է առ րադրեալ կրնդ. և ոչ գանկանայ ըմպել էր Թէ ըստ մարդկու Թէ. ապա ըստ որում ծարաւէր, ըստ նոյն մասին և ոչ կամէր ըմպել զայն, որ բնու Թեն եւրոյ էր գաղշէլի: ուրեմն և ըստ որում էր մարդ, ունէր զկամս: Եւ դրէլ յայլ ուրեք ասէ. շրջէր յու՛ի գա լիլեա. քանզի ոչ կամէր՝ ի հրէաստան գնի շրջել. զի խնդրէին զնա հրէայքն սպանանել: աշդ՝ էին Թէ շրջուն պատ շաձի մարմնոյ բնու Թէն, այլ ոչ ասդ-ու Թէն միացելոյ ընդ նմա: ապա քս ըստ որում էր մարդ, շրջելով՝ ի գալիլեա, ոչ կամէր շրջել՝ ի հրէաստանեուրեմն ապա և ըստ որում էր մարդ, ունէր զկամս: Եւ դրէլ յայլ ուրեք ասէ. Եւ անտի ելեալ անցանէին առ գալիլեա յուղք. և ոչ կամէր, էին ոք գիտաս յէ: Նա և յայլ ուրեք ասէ. Եւ ան տի յարուցեալ՝ եկն՝ ի սահմանս տիւ րոսի և սեդոնի. և մտեալ՝ ի տուն, ոչ ուրեք կամէր յայտնել. և ոչ կա րաց ծածկել: աշդ՝ էին Թէ քս. ըստ որում էր ասդ. աւետարանող էր ըստ

ինքնան . և ըստ որում մարդ , յոկար էր . ոչ ասէ հաւատքեալն. զի Թէպէտ և խաչեցաւ ի մերմէ տկարութենէ. այլ կենդանի է զօրութիւն այր : ասպա ըստ որում մարդ էր . մտեալ ի տունն ոչ ուժեք կամեր յայտնել. և ոչ կարայ ծածկել : ուրեմն և ըստ որում էր մարդ , ունէր զկամս : Է՛ս դարձեալ յայլ ուրեք ասէ . եւ մատեան աշա կէրպէր առ յն . և ասէն . ուր կամիս , զի պատրաստեսցուք քեզ ուտել զպասեքն՝ հաւդ՝ ուսէն զատկին պատշաճ էր այնոցիկ , որք օրինացն էին հնազանդք . իսկ քն հնազանդ էր օրինացն ըստ որում մարդ , այլ ոչ ըստ որում ած , ապա ըստ որում էր մարդ , կամեր ուտել զպատկին՝ ուրեմն և ըստ որում էր մարդ , ունէր զկամս : Եւ դացես զանձինս այլ վկայութիւնս ի սբ գիրսն . որք յոյժանէն զԻմ մանուէլն և ըստ որպէս մարդ , ունել զկամս :

Si Chriſtus, quatenus erat Deus, potentia per ſe ſubſiſtens erat ; & infirmitas , quatenus homo : (ſcilicet *crucifixus eſt* , inquit Apoſtolus , *ex infirmitate* ; *viuit tamen poteſtate diuina*) ergo quatenus homo erat , domum ingreſſus, neminem id ſcire volebat : neque tamen latere poterat ; adeòque voluntate prædituſ erat idem , etiam quatenus erat homo . Alibi quoque dicitur : *Et acceſſere diſcipuli dicentes: quò nos abire vis , & Paſcha manducandum parare* ? Si manducatio Paſchatis ad ſubiectos legi pertinet ; Dominus autem , quatenus homo , non quatenus Deus erat , legi ſubiectus fuit : ergo quatenus erat homo , Paſcha manducare voluit : & erat idem voluntate prædituſ,etiam quatenus erat homo. Reperies & alia ſacris in Oraculis infinita,quę Emmanuelem voluntate prædituſ fuiſſe demonſtrant, etiam quatenus erat homo.

1 Cor. 13.

Matth. 26.

Doctor : Quinam voluntates appellare debemus ? naturales , an hypoſtaticas ? *Theor*. Naturales; quippe ſi voluntates hypoſtaticas dicemus , tres in ſacroſancta Trinitate voluntates concedemus ; quoniã tres ſunt hypoſtaſes . Igitur vt vna voluntas eſt in ſacroſancta Trinitate , quoniã vna natura : ſic duæ voluntates in Chriſto ſunt,quoniam duæ naturæ, ſicut eſt indicatum . *Doctor* : Valdè me iuuiſti per exemplum illud ſacroſanctæ Trinitatis : eſtque mihi perſuaſum , debere nos voluntatem naturalem dicere,non hypoſtaticã ,

Chriſti voluntates nõ hypoſtaticæ,ſed naturales dicendæ.

Itaque cum duas in Chriſto naturas concedamus, neceſſariò duas quoque voluntates confitebimur, diuinam, & humanam.

Theor. Humana voluntas intelligenda eſt, non arbitraria, vel eligẽs: ſed tantum naturalis. *Doctor:* Et quid eſt naturalis voluntas? quid eligens? *Theor.* Voluntas naturalis eſt vis, & facultas, id appetens, quod ſecundum naturam eſt, omniumque proprietatum, quæ naturæ ſubſtantialiter adſunt, conſeruatrix: ſecundum quam ſemper ei, quod à natura voluntate præditum eſt, hoc ipsũ ineſt, vt ad volendum ſit comparatum. Non idem eſt autem, comparatum eſſe ad loquendum, & loqui: nam quidquid præditum eſt vi loquendi, comparatum quidem eſt ad loquendum, ſed non ſemper loquitur: quoniam id quidem eſt ſubſtantiæ, rationeque naturæ continetur; hoc verò conſilij, & loquentis arbitrio formatur: quò fit, vt naturæ quidem ſit, ſemper comparatum eſſe ad loquendum; hypoſtaſis autem, quodammodò loqui: ſicut ad volendum eſſe comparatum, & quodammodò velle. Arbitrium verò, & electio, ſi quidem propriè loqui volumus, in Dominum non cadunt: nam arbitrium, poſt habitam de ignota re quæſtionem, & deliberationem, ſiue conſilium, & iudicium, affectio quædam eſt ad id, de quo iudicium factum eſt; poſt quam electio ſequitur, alterum pro altero deligens. Dominus autem, qui nudus homo non eſt, ſed etiam

Humana Chriſti voluntas, prout ſubiecta diuinæ, & a malo auerſa, non dicebatur eligens, vel arbitraria.

Deus

ձճ 150 տովանեմք ՚ի նմա զկրկու կամս. յր. զյաճախումն, և զմաղդկայինն։

ՀՈրկ՝. Բայց՝ պարտ է՛ մեզ եմա- նալ զմաղդկային կամսն ոչ զոր սահ մանական, կամ ընտրողական, այլ միայն բնական։ ՀՎդեպան. Որպիսի՞ ինչ է կամքն բնական, և որպիսի՞ լն ատրողականն։ ՀՈրկ՝. Բնական կամքն է՛ զօրու-Թի՛ ինչ, որ յանկանայ այնմ եղի, որ է՛ պատշաճաւո՛ր բնու-Թեն նեբեան. և պահէ զյամ յատկու-Թիս նոյն բնու-Թեն. և նովաւ՛ բնու-Թիւն ենԹակայ երևին է՛ բնաւո՛րեալ առ կատիլ։ Հաղդ՝ ոչ նոյն է՛, բնաւո՛րին առ խօսիլ. և նեղդործ-ու-Թ- ձճա սին։ Ապան զի որ որ բնաւո՛րի խօ- 151 սիլ. Թէպէտ ունի զզօրու-Թիւն խօ- սելոյ. ոչ սակայն նեղդործ-ու-Թ- միշտ խօսի. զի զայն ունի զոյա- ցու-Թ- և պատշաճաւո՛ բնու-Թեան, ոչ զայս ունի ընտրու-Թ-, և ըստ կամաւո՛ որու-Թեան ներոյ։ ՀՀատու սա լինի. Թէ բնու-ԹԷն ինչ, զոր միշտ բնաւո՛րեալ առ խօսիլ. և ան- Ձին ինչ, խօսիլ երբեմն։ և զնոյն ասեմ յաղագս բնաւո՛րու-Թեան առ կամիլ, և յաղագս կամելոյ երբեմն։ Հաղդ՝ սահմանական կամքն, և ընտրու-Թիւն, խոհագին և ընտանեբար ասելով, ոչ պատշաճին ասն մերոյ։ քանզի սահ ձճբ մանական կամաւո՛րու-Թիւնն է՛ մե- 152 բաբերու-Թի՛ ինչ կամացն առ այն, որ յառաջ քննեցաւ՛, ճանաչեցաւ՛, և դատեցաւ՛. և յետ նորա հետեւի ընտրու-Թիւն որ ընտրէ զինն միոյ- նակ միտսն։ Ւոոկ առնու մեր. որ ոչ Թէ մարդ է՛ միայն, այլ և աս ած. և լաւ դիտէ զնա ինչ. ոչ պիտոյա- նայ քննու-Թե, և ոչ զգու-շու-Թե, կամ դատմանն. և ս և բնականա-

բար ունի զյօժարութիւն առ բա-
րի, և զգայշութիւն ի չարէ: վասն ձճգ
այսորիկ ոչ դնեմք ի նմա զսահման 153
նախան կամին. և ոչ զընտրողական.
այլ միայն զբնականն:

Եւ յետ այսոցիկ սրբակրօն եպիսկո-
պոսն Սահակ ասաց: Բաւական են սո-
քա յայտագրս երկուց կամացն քո.
մանաւանդ այսոցիկ, որք առանց
հակառակութեան լուան զասացե-
լոցն ի քէն: արդ՝ այսու հետե.
եթէ հաճոյ լինիցի, խօսեսջիր և ա-
յայտագրս երկուց ներգործութեացն
Մարի. վասն զի զանազանելոյ զերկուս
ներգործութիւս քո. համարիմ ոչ
գոլ պիտանացու երկարել յոյժ զբանն ձճդ
մանաւանդ առ ձեզ, որ էք տեղեակք 154
ամենայնի գրոցն: քանզի լաւ զի
տէր. զի Քրիստոս, և առնել կաւ ին
ի Քրոյն. և ծեփել նորա երկու ա-
չաց կուրին. արդ ինչ մարդոյ նման
գործութիւնք. վասն զի եթէ ոչ եմք
անմիտք, գիտեմք զաստուածութիւնն ոչ
Քրիստոսի: եսկ զլուացանելն կաւ
ին ի ըրոյն և ի տեսութիւն, զայս յա-
յտաբերեմք աստուածութեանն: Եւ զայլ ան
դիս օրինակս այսպիսեացս գտանել
եղ որոց ընդհանուր զնաց աշուն գիտու
ձվրդ այս ամ յայտնի լինիցի օրինա
նական հրացեալ սրոյն. զի սա հա
մանգամայն հատանէ և այրէ. եսկ ձճե
այրելն ոչ է երկաթին, այլ հրոյն. 155
և հատանելն ոչ հրոյն, այլ երկա
թին: ուստի և ընդհատութիւնն
և այսուհետև են գործողութիւնք զանա
զան բնութեացն. սակայն վասն միոց
մանն ասելի. եթէ այսուհետև այն ոչ
միոյն ի հրոյն ելանէ, այլ և ա ի երե
կաթէն, և սովոր եմք խօսել. Եթէ երբ
կաթէս այս այրէ: Սովին գաղափար

մ ձճ բաւ

Deus, & qui nouit omnia, nec con-
siderationis vllius eget, nec inqui-
sitionis, nec consilij, nec iudicij;
& tum coniunctionem cum bono
naturaliter habet, tum auersionem
à malo. quapropter arbitrariam, aut
eligentem volũtatem Domino non
tribuimus, sed naturalem.

Tum religiosissimus Episcopus
Isaac dixit: Sufficiũt hæc de duabus
voluntatibus Emmanuelis, ijs qui-
dem, qui non contentiosè, quæ di-
cta sunt, audiunt. Nunc, si placet,
